A.XL
18/h
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 737
COLLECTION
4858

N. 91

16. E

Glycerij Benisch e Scholis Piis 10554

IOANNIS HUMMELII

MED. DOCT.

# OPUSCULA MEDICO-CHYMICA.

In quibus continentur:

I. Commentatio de arthritide ſ. podagra.

II. Topiarium hermetico chemicum recluſum.

III. Topiarii partem II. præſtat olympus aſtralis.

IV. Topiarii p. III. exhibet ΠΑΝ ΤΩΝ ΠΑΝ ΤΩΝ ὑποτιθέμενον.

Biblioth. Colleg. Lovenenb.

Anno 1766.

---

Francofurti ad Moenum

SUMPTIBUS IOH. FRIEDR. FLEISCHERI

1755.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

# COMMENTATIO MEDICA, DE ARTHRITIDE TAM TARTAREA, QUAM SCORBUTICA, Seu (ut vulgo dicunt) PODAGRA ATQUE SCORBUTO.

## CANDIDE LECTOR!

Verbum vetus: Malum Medicum, cum veſpillo fit, non mutare vitæ genus, utique malum Theologum, cum fit Medicus, non poſſe non malum talem fieri, neque mutare vitæ genus, utpote ſemper

utrinque homicidam, mihi & omnibus æquis rerum æſtimatoribus in propatulo eſt, niſi forte in eo reſideat diſcrimen, quod, cum antea animas hominum in æternæ vel ſpiritualis mortis barathrum præcipites dederit, nunc corpora eorum occidat & in tantum conditionem ſuam meliorem reddiderit. Bonum vero, & verum Theologum vix non poſſe, ſi forte vitæ genus invidia Contribulium eum mutare coëgerit, in æque bonum evadere medicum, nemo ſane facile inficias ibit, qui perpendit, hunc habitum theologicum a Divino Lumine conceſſum nunquam exuere, dum a functionibus in theologia publicis arcetur, & ſic ſecum ferre & nunquam deponere ea requiſita neceſſaria, ſine quibus nunquam bonus emerget medicus: non enim niſi in lumine divino natura vere cognoſcitur & commodo proximi ſtudetur.

Non hic tam meam peroro cauſam, quam veritati velifico, jamdum evictæ, & impoſterum ſeſe amplius comprobaturæ. Norunt ſane plures, præprimis in tractu Weſtphaliæ, quid mihi, Verbi Divini antea Solingæ Præconi, negotii fuerit cum meis reliquis Contribulibus, & cum tota Synodo montenſi; & quo pacto tandem ſtatum Eccleſiaſticum ſuo relinquere genio coactus ſim, & aliud amplecti vitæ genus, in quo majori conſcientiæ libertate tam Deo ſervire, quam proximo prodeſſe, mihi liceret. Utique & in montibus noſtris pernotuit, quod & jamdum in officio Eccleſiaſtico adhuc conſtitutus, operam dederim medicinæ & huic apprime famulanti Chymiæ; cum & a primis ſtudiorum meorum initiis magis in ſtudium medicum, quam theologicum, parentum conſilio injunctum, propenderim.

Cum ergo jam conſtitutum mihi ſit, etiam publice me medicinæ faciunde accingere & gradum Doctoris in hac arte, exigente ita hodienum introducta & legibus ſtabilita conſuetudine, amplecti, non tam rem ipſam, nempe artem medicam, hoc molimine demum acquirere intendo, quam nomen ſolenne ſeu publicum meorum profectuum qualiumcunque teſtimonium; quanquam inde nunquam præſumam, in quo & conſentientes omnes habebo Doctores Medicos vere tales, me jam diſcipuli in hac arte, ut ajunt, calceos exuiſſe; ſed potius, quo magis aſſurgo, eo ampliora & majora adhuc mihi diſcenda reſtare lubens ſemper profitebor, nunquam non memor primi noſtri Hippocratis Aphoriſmi, qui ſemper obtinebit, usque in extremam non tantum Medici vel ter centenorum annorum ſenectutem, ſed & totius orbis finem.

Qua-

Qualem, divina illucente gratia, me jam ſtiti Theologum, tale me non immerito habete Medicum, id eſt, nulli omnino ſectæ addictum, & ſoli veritati, in quantum patet & animi mei ſenſus ferit, in Chriſto ſtudioſum. In arte vero Medica jamdum expedita ad hanc libertatem patet via, cum ea hactenus nec ſymbolis juratis, nec concordiæ formulis vincta inceſſerit, ſed orthodoxias ſuas & heterodoxias, ut æquum eſt & rationi ſane conſonum, ex experientia definiverit. Si tamen & auctoritatis robur aliquem ſuſpendere vel etiam inflectere debere non prorſus iniquum quis reputet, ſciet, me ſtudium medicum, cum juvenis eſſem, jamdum in animo ſelegiſſe & Heidelbergæ, Parentibus meis inconſultis, Collegia Celeberrimi tum temporis Profeſſoris Nebelii frequentaſſe, & quanquam brevi gaudio fructus Parentum meorum conſilio

poſtea Theologica eſſem aggreſſus, intenſe tamen circa Artem Machaoniam geſtiit pectus meum: quare data opportunitate huic ancillanti Chymiæ operam dedi, nec non expertiſſimorum Virorum ſcripta enixo animo perlegi, eorumque praxin experientia mihi hinc inde comprobatam imitatus, tandem medicinæ publice, primis temporibus gratis cuique, faciundæ periculum feci. Neque & alius, quanquam haud dudum mihi factus, deerit Auctor, qui meo quidem judicio in arte medica æque ac in ſcientia naturali facile quemvis alium, ſi non pondere rerum ſuperavit, æqua ſaltem lance ſuſpendit. Erat is DR. IOH. CONRADUS DIPPELIUS, dictus alias, CHRISTIANUS DEMOCRITUS, ex cujus ſcriptis & quidem primo primum diſſertatione ejus Inaugurali Medica de VITÆ ANIMALIS

ME-

MEDICINA ET MORBO &c. ante quadriennium demum mihi (cum jamdum in arce Hackhauſiana lucis undique & circumſepta lacunis, Faunis, Nymphisque ſtipatus Pathmum colerem) compertis non ſaltem, ſed & occaſione ferente quibusdam diſcurſibus, maxime autem literarum commercio, quo me aliquot annis ad præcipitem atque inopinatum ejus de vita hac ſeculari ad manes immortalis deceſſum usque frui licuit, me percepiſſe, ingenuo animo & hæcce, quæ his maxime includuntur pagellis, Theoremata atque relata, profiteor.

Date ergo candori noſtro, boni publici promovendi cupido, ſi forte hic quædam perſtringenda amice ſerioque perſtricta deprehendetis. Experimini, quæſo! mecum, quæ hic ſat validis ratiociniis deducta & inculcata videtis & videbitis. Si candidi

 eſtis

eſtis & veritati patuli, nihil hic, niſi ex-terum ipſarum merito eſſe vituperatum, nihil etiam laudatum; ſi præter theoriam utique, imo maxime Empiriam, vere docere ſtatuimus. Empiria enim ſola docet; ex ea dependere debent præcepta & hypotheſes, methodusque ex ea non deducta ſeducit & Medicaſtrum vel viliſſimo Empirico circumforaneo viliorem facit.

Quanquam nec ſic Medicina omnino evadet apodictica, & cautelæ Aphoriſmi primi Hippocratici nunquam non prudentis Medici, etiam expertiſſimi, aures ſummo jure adhuc vellificabunt; licet enim omnia perſpicias & ſimul in promptu tibi ſint medicamina ad omnes omnino morbos pellendos efficacia; nondum tamen tuarum erit virium, omnes ſanare ægrotos, cum hic obicem ponere poſſint vel morum ægrotantium perverſitas, vel ipſius naturæ & principii vitalis in porrigenda ope ſubſidiaria defectus, vel viſceris alicujus etiam nobilioris

totalis

totalis deſtructio & corruptio, cui redintegrandæ omnis in vanum impenditur cura & opera.

Hæcce præmonitus, Lector Benevole! quæ ſequentur æquo ac libero, ſi datum ſit, animo perlege. Itaque, dimiſſis prolixis exorſis & ambagibus quibuscunvis, rem ipſam aggreſſuri, primo Rationem Nominis rimemur.

Per vocem Arthritis vulgo exprimunt articularem ſeu dolorem ſpaſticum, æque ac corrodentem & gravativum in artubus exterioribus ſe ut plurimum prodentem, dico ut plurimum: æque enim per interiora ſubinde vagatur & ſedes ſuas occupat, & hinc ex ratione nominis definitio, ut communiter fit, manca & ſterilis vel inadæquata.

Ex duplici fonte duplex enaſcitur morbus, diverſis, imo fere contrariis cauſis originem debens, ſub eodem tamen nomine inter Medicos hactenus indicatus; quod & in aliis morbis uſu venit. Verbi

gratia:

gratia: Epilepſia & Apoplexia, quæ ſub uno nomine & ſchemate morbos indicant, qui ex diverſis & contrariis ſæpius enaſcuntur principiis. Hinc, ut diſtinctius procedamus, omiſſo nomine Arthritidis generali, voces magis uſitatas ſubſtituimus, & de PODAGRA & SCORBUTO noſtram telam perteximus; morbis nimirum vulgatiſſimis, ex quorum genuina indole & cura, tota morborum tam tartareorum, quam reſolutivorum cohors in ſuis cauſis & curis pateſcet.

# PARS PRIMA.

## DE PODAGRA.

§. I.

Ne vero Modernorum quidam nos pervicaciter offendant in hac denominatione morborum tartareorum, quaſi ſalem quendam & tartarum coagulatum pro cauſa venditemus, quod & ipſi Theophraſto Paracelſo nunquam in mentem venit: ſciant autem audaculi, nos primam materiam morborum tartareorum, non tartarum, velle exquiſite ſic dictum, ſed mucum & pituitam ſpiſſam in ſanguine & reliquis corporis noſtri humoribus collectam, quæ durioribus coagulationibus, lapillis & nodis, ſatis duris, idoneam materiam ſubminiſtrat, quem mucum natura ſeponere & expellere intenta hic & illic motus excitat ſpaſticos pro activitate & temperamento principii vitalis magis & minus doloroſos; quam dolorum diverſitatem auget etiam locus vel aptus vel ineptus talis muci expul-

ſioni

ſioni natura vel ſapienter, vel erronee a gente deſtinatus. Deſiſtant ergo præcipites hypotheſium fabricatores tantam *Plethoram* & motus naturæ erroneos accuſare, & agnoſcant, hic materiam morbificam ſatis ſe tandem prodentem, & in lapides & nodos ſatis duros collectam; quam, ſi ſalem & tartarum vocare detrectant, non inſulſe prorſus negent, nec ſibi dolores & morbos prorſus ſpiritualis materiæ expertes: quanquam, ut in ſecunda hujus Diſſertationis parte de *Scorbuto* pateſcet, nec ipſi hi ſua opinata Minerva pathologiam ſalſam penitus eliminare audeant & aliquid talis ſapientiæ adhuc de ſe prodant.

## II.

Mucus iſte, ſeu pituita lenta per totam vitam etiam in ſubjectis, quantum fieri datur, ſaniſſimis, tanquam excrementum ſanguinis & reliquorum humorum ordinarium a provida ſibi natura ſequeſtratur & expellitur ordinarie quidem per vaſa gaſtrica inteſtina, ubi ſimul mucus iſte progreſſum fecum alvinarum promovet & lubricitatem canalibus inteſtinorum conciliat, deinde per nares, quæ quidem ſecretiones & excretiones omnino ſecundum naturam fiunt, & ſanitatem, ſi bene ſuccedant, conſervant, cauſasque morborum tartareorum præſcindunt. Extraordinarie & non ſine morbo per pulmones & aſperam arteriam, ſicut & ex naribus ingruente coryza & gravedine, non ſine febri-

febricula & tuſſis moleſtia; tolerabiles tamen hæ ſunt criſes & ſalubria hactenus naturæ molimina nullo modo ſiſtenda, quod & vulgo ex experientia notum eſt.

## III.

Si vero ob nimiam hujus muci abundantiam natura in expellendo alios ſimul inquirere cogitur exitus, res altioris momenti eſt & periculi & incommodi plena. Si verbi gratia per *venas emulgentes* mucus iſte ad vaſa urinaria expellitur, ſubminiſtrat ibi materiam calculi: facillime enim ſalia, quibus urina turget, hoc reti detinentur & coagulantur, ſeu lapideſcunt. Si *venæ portæ vaſa* talem fundunt & ſegregant mucum, induratur tam lien, quam hepar, quod & ſcirrhos & varias concretiones utrinque concipit: hinc ea lerna malorum mali hypochondriaci, cui aliquid levaminis accedit, ſi mucus iſte per vaſa hæmorrhoidalia ad inteſtinum rectum ablegatur, ubi ſæpius tanta expellitur copia, & quidem ſincerus, nullo admiſto ſanguine, ut in inteſtino recto, præprimis in ſubjectis ſiccis & calidis, lapillos & pilas, non pilulas formet, quæ fæcum excretionem impediunt, & chirurgorum auxilio extrahi deſiderant.

## IV.

Quodſi vero hic mucus tanta collectus ſit copia, & ſanguinem inſpiſſarit, ut natura, inops quaſi

quaſi conſilii, ubivis ſecretionem & expulſionem etiam in extremitatibus membrorum moliri quaſi cogatur, idque negotii, ob lapſum hujus muci deorſum facilliorem, in pedibus communiter primo ſuſcipiatur, ob loci compreſſi anguſtiam dolores & inflammationes ſpaſticas oriri neceſſe eſt; quæ ſalutantur nomine podagræ & ab initio ridentur, imo ſtulto conſilio & auſu à quibusdam Medicis ſalutares creduntur, quibus aliquando in votis eſt, callere artem producendi podagram, utpote æque ſalutarem, ac ſunt ipſis hæmorrhoides, quibus excitandis & promovendis ſedulam navant operam, in hoc quidem non prorſus falſi quod ex pluribus malis minus periculoſum ſibi eligant; falſi tamen omnino & Medici nomine indigni, quod morbum per morbum averruncare, vel potius divertere ſine ulla ratione & neceſſitate allaborent.

V.

Vidimus ergo materiam proximam Podagræ, & ſi Plethoriſtæ adhuc iniquo auſu contendant, abundantiam, non qualitatem hic peccare ſanguinis, vel etiam ſanguinis ſpiſſitudinem & mucum tantum abundantiæ & Plethoræ debere originem, ad ipſos nodos Podagricos ſentiendos & eximendos eos ablegamus; ubi easdem plane deprehendent concretiones & tophos, quæ calculi renum & veſicæ ſuppeditant, & hæmorrhoides mucoſæ in ano conglo-

globant; ex literis noteſcunt, qui ex nodis podagricis tractu temporis hujus materiæ lapideæ aliquot libras collegerunt, ſed ſane materiæ podagricæ ad ſalem ſuppeditandum inſulſis, ſi lambendo ibi ſalſuginem nullam deprehendant, ſalem tamen in indurato iſto muco ope analyſeos Chymicæ abundantem invenient & podagram ſine ſale inſulſa ſentiendi libidine non amplius proclamabunt; materiam etiam hanc ex mueo & ſale lapideam ipſis, ſi Diis placet, ſalutarem brevi temporis tractu adeo augmentum capere deprehendent in ſubjectis immorigeris, ut non tantum pedes & manus, ſed & juncturæ reliquæ artuum gypſeas & lapideas ſe ſiſtant, & vel lapideo ingenio ſcrupulum eximant de præſentia in humoribus ſat abundantis materiæ podagricæ præter & contra naturam collectæ, quam ſalem, tartarum, ſive terram & mucum dicere perinde omnino erit, dummodo eam tollere noverimus & ſanguinem, reliquosque humores ab iniquo hoc hoſpite ſoſpitare, ſors fauſta contingat; quod per venæ ſectiones nunquam obtinget, licet ad breve tempus inde aliquid levaminis paroxysmorum dari, nemo inficias iverit; non quod Plethora in cauſa ſit hujus mali, ſed quod liberior inde ad tempus emergat ſanguinis mucoſi circulus.

VI.

Inventa ita materia, & cauſa proxima Podagræ, inquirendum eſt etiam in cauſam pro-

ductricem hujus coaguli & muci; circa quam indagandam æque multis modis aberratur, licet ea ipſa ſe vel manibus palpandam cuivis ex experientia ſiſtat.

## VII.

Eſt Podagra morbus ætatis virilis & conſiſtentis; hinc omnino diætæ & morum vitio originem debens, & maxime ſervitio gulæ & libidinis venereæ ſponte accerſitus, rariſſime diſpoſitioni hæreditariæ aliquid debens: hinc etiam vix tam facile evitabilis cuivis, quam patibulum furibus. Eſt etiam morbus facillime omnium curabilis & ultro ceſſans, quam primum *Venus* & *Bacchus* (qui poſterior omnem diætæ ſanæ exceſſum, vitamque omnino vitioſam nobis deſcribit) in cultu ſui neglectum ſentiunt; quod vel interveniente pauperie & rei domeſticæ anguſtiis, vel deſtinato animi generoſi & ſibi ſapientis conſilio experiri datur: incurabilis ergo audit & Medicorum ſcandalum, tantum ob patientum incurabilem morum perverſitatem, qui ſi vel decies unius anni tractu perfecte curentur, toties eam de novo accerſunt, & ſuarum cupiditatum ſervitio tanquam hoſpitem gratiſſimum ultro invitant. Accuſatur etiam iræ impotentia; verum hoc affectu materia podagrica nunquam colligitur, ſed tantum jam collecta movetur & paroxyſmus acceleratur & intenditur, ſicut e contrario intenſo frigore externo jam collecta magis indura-

duratur & figitur: dantur & plebeji & pauperes ſatis iracundi, & ut in proverbio eſt, formicæ ſua ira eſt; ſed nunquam vidimus ruſticum iratum ex ira podagricum. Diſpiciamus ergo tantum, qua ratione & modo mucus ille & materia podagrica ex nimia Venere & Baccho obſtetricias nanciſcatur manus, & illico pateſcet genuina & adæquata cauſa podagræ; pateſcet etiam, quam perverſe & inſulſiſſime ex adverſo ſubſtratæ hypotheſes aberrent, & totam fere Medicinam pervertant; perſtringamus prius inſulſiſſimos hos errores, ut rei veritas eo clarius pateſcat.

## VIII.

Negant quidam nimis audaculi ſuarum fictarum hypotheſium adoratores, & ad Garamantas prorſus ablegant ita dictos ſpiritus, ſeu ultimum & depuratiſſimum œconomiæ animalis productum, humorem in cerebro ſegregatum & per nervos ceu ſpongioſa filamenta toti corpori diſtributum ſpirituoſum & efficaciſſimum, quo tam juſta fluiditas reliquorum humorum, quam tonus & elater vaſorum continentium conſervatur; imo quod majus eſt, tota machinæ nutritio continuatur, ſicut ab initio tota omnium partium ſtructura, quoad materiam immediatam, ex qua unice huic humori nerveo originem debuit, quod vel atrophia particularis membri ex abſciſſo vel obſtructo nervo illico ſuboriens, quemvis edo-

cere poteſt. Autopſia certe loquitur, in embryone primo omnium formari cerebrum & ſpinalem medullam cum toto nervorum ſyſtemate, exque horum propaginibus omnes partes ſolidas & continentes compingi. Eadem autopſia docet, caput infantis, ex utero in lucem prodeuntis omnes partes reliquas ſua mole & proportione longiſſime ſuperare, ut pateat, ex hac officina naturam totius nutritionis & incrementi negotium exorſam eſſe & jam continuare velle; ſapientiæ enim domicilium in hac ætate prægrande infantis caput absque inſipientia vix dixeris. Ipſi denique ſpirituum deſtructores fatentur, naturam in juventutis augeſcentis ſtatu plus ſanguinis ſemper ad caput ablegare, quam peracta jam accretione. Dicant nobis, cui bono & fini, ſi collectum in cerebri & ſpinalis medullæ officina humorem nerveum in totius corporis incrementum impendi negent, imo plane nullum eſſe contendere pergant? Eſt ſane conficta hæc hypotheſis indicium audaciæ intolerabilis, & toti ſcientiæ Medicæ præjudicium peſtiferum, dignum omnino, cui non verbis, ſed riſu & contemtu contradicatur, cum ipſa natura & quotidiana experientia falſitatem & inſulſitatem ejus arguat.

## IX.

Mittimus ergo non ſine indignatione hæc deliramenta & natura æque ac experientia convicti aſſerimus, profuſiore Venere & Seminis emiſſione

emiſſione ſpirituum horum detrimentum & imminutionem neceſſario ſuboriri, cum ipſum ſemen prolificum maximam partem ex his ſpiritibus conſtet: imminuta ergo hac ultimæ animalis concoctionis ſupellectile, tam vaſa continentia, quam humores contentos debilitari, ſimul neceſſum eſt, & collectionibus materiarum morbificarum aptiores jam præberi ſedes & diverticula, ultra pateſcit rationæ ſanæ, ſicut id ipſum quotidiana experientia loquitur.

## X.

Inquirendum jam, quid Bacchus, ſine quo & Cerere Venerem frigere in comperto & proverbio eſt, ad productionem materiæ podagricæ conferat, & omnia momenta ætiologica circa hunc morbum in vado erunt, imo palpabilia. Vinum ſpiritu ſuo volatili & inflammabili vaſa corporis animalis æque ac humores expandit, liquida turgeſcere & ſpumeſcere facit,, & eo ipſo Venerem ſtimulat, cui ſi perverſa libido indulgeat, corpus enervatur & langueſcit; ſed & aliud podagricæ materiæ ſubminiſtrat pabulum: aceſcit enim & fermentatur in primis nutritionis & concoctionis organis & fermentum ſtomachi adeo intendit & exaſperat, ut mirum non ſit, mucum & pituitam lentam in omnibus corporis humoribus inde capere incrementum, & morbis tartareis ſeu coagulativis & conſtrictivis abundantem

ſemper præberi materiam; cum ex experientia notum ſit, acetum non ſolum, ſed ipſum vinum immaturum & debile in merum mucum ſæpe abire & pendulum, ſeu tenax fieri. Differentia quidem quædam intercedit inter vina noſtræ Europæ auſtraliora & ſeptentrionalia, quorum illa plus ſpirituum & dulcedinis, hæc vero plus tartari & auſteritatis a nativitate participant; & hinc videntur in producenda materia podagrica majoris & minoris efficaciæ. Sed ſi rem penitus rimeris, nil fere ſuberit differentiæ: generoſiora enim vina plus Veneri indulgere faciunt, & adſtipulante experientia, in acetum acrius abeunt dulcia hiſpanica, quam auſtera Rhenana & tartarea. Latet ergo ubivis anguis in herba, & vinum quodvis inſanum & venenum evadet, quam primum immodice & potus ordinarii & ſolitarii loco ingurgitatur, præprimis ubi bibendi conſuetudine contracta ſitis habitualis jam amphoram nobis ſiſtit rimis inferius fatiſcentem, & in orificio nunquam non anhelam & liquoris cupidam.

## XI.

Collectum iſtud & nimis intenſum fermentum ſtomachi præternaturale non ſupponi & credi, ceu communiter fit in danda ætiologia morborum, neceſſe habet, ſed ipſo ſenſu & experientia ſe manifeſtat, non tantum per murmura & ructus acidos, ſed & vomitus adeo ſæpe acres & faucibus æque ac dentibus moleſtos,

leſtos, ut nullum ex regno vegetabili acetum huic ſtomachali conferri mereatur. Quis contra hanc experientiam dubium regeret? nemo ſanæ mentis, niſi indignabundo & perverſo percipiet animo. An non futilem & falſam hypotheſin exſtruunt & errores in Medicina peſtiferos diſſeminant, qui non materiæ morbificæ qualitati, ſed Plethoræ & anomalis principii vitalis motibus autocraticis & liberis omnium fere morborum aſſignant originem, negantes in officina animali fermenta noxia: & ſi vel ipſis aliquando ex faucibus regurgitet, nolunt tamen acidum iſtud dicere amplius acidum, ſed quaſi vim nominibus ipſis inferentes, dicunt ſaburram & incrementum bilioſum; cum nemo non ignoret, bilem nil acidi, ſed multum amari ſaporis ſenſui imprimere, & balſamum quaſi eſſe acidum infringentem, & retundentem, quam acidi productricem. Quis quæſo niſi temere virtutem & officium bilis inficias ibit, proque recremento noxio, in dedecus naturæ & Medicinæ detrimentum eam proclamarit? cum tamen totum hepar & omnia hic concurrentia vaſa ſucco huic nobili conficiendo & colligendo a natura deſtinata ſunt, mirum non eſt, experientiæ huic obnitentibus amarum & acidum coincidere, & ſeſe invicem in eorum phantaſia producere poſſe, interim extracta ſua amara, quibus pilulas ſuas balſamicas & polychreſtas conficiunt, quia amara ſunt, pro ſaluberrimo naturæ balſamo rurſus venditant.

ditant. Sic omnia fingunt refringuntque pro lubitu, & ſi non ex lucro, ſaltem ſemel effutitæ opinionis idolo in ſentiendo & docendo dependere videntur.

## XII.

Vidimus ſane & palpandam quaſi exhibuimus originem genuinam podagræ, mucum nimirum & coagulum ex profuſione immodica ſpirituum in Venere & vini potu immodico, indeque ſuſcitato feroci fermento in omnibus humoribus collectum. Nec tamen inde ſequitur, omnes tales dictæ vitioſæ, Bacchi Venerisque cultores vexari debere Podagra: ſunt enim alia loca in machina noſtra quamplurima, ubi mucus iſte congeri & ſequeſtrari poteſt, magis funeſta & periculi pleniora, ut Moderni non prorſus ſine ratione exoptent ſibi facultatem & artem producendi podagram, utpote ex toto morborum tartareorum numero nimis periculoſam; licet in eo fallantur, quod putent, ita morbos reliquos diverti vel prorſus amputari poſſe, præprimis ſi jam mucus iſte & coagulum in humoribus exundet. Compertum jam fuit Hippocrati, hæmorrhoides ſupervenientes levamen afferre podagricis, nephriticis & hypochondriacis, quod in tantum rationi conſonum & verum eſt; ſed ſi materia tartarea jam tanta collecta ſit copia, ut una via ſecerni amplius nequeat, experientia docet, inveniri tandem miſeros, qui omnibus his malis ſimul ita

tor-

torqueantur, ut neſceant, cuinam horum tortorum præ reliquis maledicere debeant, vel quem ſibi ad abigendos reliquos patronum exoptent. Nec ſoli enarrati morbi his Heroibus in Palæſtra Veneris & Bacchi familiares ſunt, integra eos exſpectat morborum coagulantium cohors, inter quos dantur, qui fata concitatiore gradu accelerant.

## XIII.

Non enim Natura ſemper vias invenit & facultatem, mucum iſtum ad inferiora propellendi, ſed aliquando deponit in viſcera nobiliora: verbi gratia, in *hepar*, unde infarctus & ſcirrhi, qui totam officinam biliferam deſtruunt & ingentem rurſus propaginem variorum morborum funeſtiſſimorum de ſe fundunt, hydropes nimirum, phthiſes, colicas, diarrhœas & dyſenterias. Si in *lienem* talis fiat muci depoſitio, intumeſcit ille, vaſa ſanguifera coarctat, & vomitus ſubinde cruentos per vaſa brevia in ſtomachum expreſſo ſanguine, excitat. Si in *pulmones*, & non illico tuſſi ejiciatur, ſcirrhos, grandines & varias concretiones lapideas ibi producit, quibus ſanguinis circulus impeditur, & hinc vaſa coarctata aliquando rumpuntur, & funeſtæ hæmoptyſes excitantur, quæ ſuccedente phthiſi fata accelerant. Si in ipſo *capite* & officina cerebri talis contingat ſegregatio, & quidem in tanta copia, ut per nares & coryzam ſequeſtrari am-

 plius

plius nequeat, & hic aliquando conglobat lapillos, vel cerebri ventriculos opplet, & apoplexiæ ſeroſæ æque ac ſanguineæ, dum vaſa ſanguifera æque ac lymphatica coarctat & rumpi facit, viam pandit. Tanta malorum ſeges pullulare poteſt ex unico fonte, quem ſuſcitat & fovet animi abjecti & ſenſuum ſervitio mancipati ſtultiſſima libido & cacoëthes peſtiferum!

## XIV.

Dum hactenus Philoſophum & Ætiologum egimus circa malum Podagræ & ejus fratrum & ſororum; jam etiam nobis ſubeundæ erunt partes Medici, dummodo ægri curari deſiderent. Deſiderant quidem medelam, & dolorum levamen anxiè expetunt, ſed, quod in omnibus morbis maximi eſt ad curam momenti, ſe ipſos curari omnino detractant, & ſi vel Philoſophorum lapide multoties lapides ſuos morbiferos ſolutos & abactos experti fuerint, de novo tamen ſibi lapidum materiam intenſo ſtudio colligunt. Sunt tamen in tanta moroſorum ſervorum gulæ & inguinis turba pauci quidam, qui tantorum cruciatuum pertæſi animum ex ſordibus erigunt, & jam ſanæ rationis habenas admittere nobili & generoſo conatu promptos ſe exhibent: his ex fonte diætetico ſequenti ſuccurremus formula, quam ſi fideliter ſequantur, ſpondemus, imo certo promittimus unius anni decurſu non tantum podagræ, ſed & calculi, hæmorrhoidum & integri

mali

mali hypochondriaci ſolutionem & evaneſcentiam. Non Recipe, ſed abjice in potu vina omnis generis, ſpiritus item ardentes, & aquas vitæ (vel potius hic mortis) omnium colorum & tincturarum. Recipe vero in potum aquam limpidiſſimam; ſi varietate ducaris, hodie fontanam, cras pluvialem & perendie acidulam mineralem; ſi ſapore, odore & colore, etiam aquam cos pro vino cos tibi exoptes, immiſce de vacca nigra vel rubra lac album & dulce, quo etiam decoctum tuum, vel infuſum exoticum Thée & Caffée, loco ſacchari condire licebit. In cibis fuge aromata nimia & acetum omnino, de cœtero parum ſolicitus; ex quovis regno, modo non minerali (cum mineras jam in te geras) tua capias fercula. Ede jam & bibe, quantum placuerit, ad fallendam famem & ſitim. Si alvi ſiccioris fueris vel etiam male digeſtis humoribus & flatibus repletæ, pro ſcopo ſolutivo non aliud laxans adhibe, quam ſal ita dictum mirabile Glauberi, abjectis omnibus omnino pilulis. Dormi, ſi poteris ſuaviter in octavam & nonam usque horam. Manus & pedes, niſi jam tophaceæ ſint conſiſtentiæ, plus motu fatiga, quam inguen & podicem: ita fiet, ut podagra tua, hujus diætæ omnino impatiens & pertæſa, ſenſim ſe ſubducat & te tanquam hoſpitem fraudulentum & avarum fugiat; fugatam autem noli præpropere, reaſſumta diæta priore, rurſus invitare: ſecum enim ut plurimum reducit diabolos plu-

res

res pejores, ac vix ac ne vix quidem ſecunda vice, ſuo ſtipata ſatellitio recedit. *Probatum eſt & exiguo conſtat pretio & ſoſtro.*

## XV.

Sed cum pauci capiant verbum hoc, non omnino derelinquendi veniunt immorigerii reliqui, ne artem noſtram pharmaceuticam plane rideant & prætextus quærere Medicorum doctum chorum cum *Moliero mimo* ſibi perſuadeant, ad occultandam artis ſuæ penuriam, quando ſaignando, purgando & clyſterium donando, terque quaterve repetendo hanc methodum, in vanum luditur omnis opera, & tandem podagra declaratur incurabilis.

## XVI.

Primum ſubjiciemus methodum Modernorum, ut pateat, in quantum etiam ex ſuppoſitionibus vanis & Pathologia falſa, aliquando per acidens ars medica aliquid ſubſidii capere poſſit, licet ex juvantibus & nocentibus plerumque in medicina fabricentur hypotheſes, ut cauſarum morbificarum ſcrutinium non tam medicamentum indicet, quam a medicamento ortum ſuum trahat, ubi ſane utrinque multis modis aberrari poteſt, cum vis & agendi modus medicaminis æque in puteo lateat Democriti, quam naturæ & principii vitalis conatus & ſolertia in abigendo malo. Plethoram accuſant, adeoque quantitatem humorum, non qualitatem, orgaſmum

gaſmum porro & naturæ conatum Plethoram hanc imminuendi & hinc vias quærendi, ubi exitum commode moliri poſſit, inde ſpaſmos iſtos dolorificos deducunt.

## XVII.

Tria ergo in curanda vel potius mitiganda Podagra (nam penitus abigi eam periculi plenum putant) ſibi pro ſcopo medico fingunt: Plethoræ imminutionem (motus & orgaſmi temperamentum) & ſi fieri poſſit, naturæ ad alia loca excretionis, magis naturalia & non adeo dolorifica incitamentum, ubi mirum in modum occupantur ad ſuſcitandum fluxum hæmorrhoidum, quo ſane obtento, rem in vado eſſe, exiſtimant & ſanitati decumbentis ſatis in imposterum proſpectum. Ad primum commendant venæ ſectiones æquinoctiales & ſcarificationes ſolſtitiales; quid arcanæ hic ſubſit energiæ aſtrologiæ, ut quatuor hæc anni ſolaris tempora huic negotio deſtinentur, intelligere hactenus non potui: vereor tamen, ne mox menſtrua ſanguinis exigantur tributa. Ad ſecundum in ſubſidium vocant pulveres ſuos ita dictos antiſpaſticos & temperantes, in quibus nitrum pauca cinnabari coloratum omnem abſolvit paginam. Ad tertium, nempe apertiorem vaſorum hæmorrhoidalium ſuas commendant pilulas polychreſtas *Beccherianas*, primo ab inventore, poſt Stahlianas, a primo correctore, jam vero ab innumeris fere ſemper novo ali-

quo

quo ornatu auctas & venum expoſitas, ut non immerito membrum aliquod commercii literarii Norimbergenſis noſtra tempora vocarit: *Seculum medicum pulverulentum & pilulare.* Quanto vero inde orbi proſint vel noceant, mox luculenter pateſcet. Si pilulis hæmorrhoides non auſcultaverint, hirudines ano applicant, & nullas non omittunt artes, quibus hoc dedecoroſum quondam Philiſtæorum malum in ſolamen podagræ & calculi exoptatiſſimum, ſuis ægrotis accerſant, adeo ut honeſti pudibundi decumbentes indignentur, reliqui vero vel riſu Podagram ſolvere poſſint, quando vident, Medicos tanto conatu & induſtria fatigare podicem, ut malum pedum novo malo, forte æque incommodo, averruncent.

## XVIII.

Hæc indicata ex hypotheſi, & intenta in cura, ſi bene obſerventur, & patiens ſimul aliquid ſua conferat temperantia, Podagra vel ſolvitur, vel ad minimum tolerabili alitur & recurrit incommodo. Falluntur tamen Auctores hi in danda ætiologia tam circa morbum, quam vim & agendi modum medicamentorum, quod breviter hic indicandum, ut cura hujus morbi vera, non palliativa eo clarius pateſcat, & fallacia non cauſæ ut cauſæ inter Medicos, ſi unquam panis quotidianus, in quantum fieri poteſt, evitetur. Venæ ſectionem in ſubjectis laute paſtis Plethoram imminuere, vel

vel imminuere poſſe, contra omnem rationem aſſeritur & experientiam; augentur ea potius omnes corporis humores & nil certius eſt, ſi cholerico melancholicum pinguefacere vel obeſum reddere velis, quam te id præſtare poſſe, repetitis per annum vel ſemeſtre menſtruis venæ ſectionibus. Id tamen obtines, ut ſanguinem vegetum & fibroſum, debiliorem & aquoſiorem reddas, & per conſequens id aquiras, ut in eo fluctuans coagulum recrementorum, ſeu mucus, prima Podagræ materia, jam facilius hinc inde moveri, & hinc dolor podagricus ſua decrementa capere poſſit. Patitur interea tota machina ex hac profuſione id commodi, ut a miſſis ita ſpiritibus & tono viſcerum, aliis morbis exponatur, & leviſſime morbo cuivis ſuccumbat; infidum ergo ſemper venæſectio, licet præſentiſſimum aliquando eſt morborum remedium, & vel in locis auſtralibus & calidis, ubi tamen ceu verſus Aquilonem tanta inferre mala neſcit, non tam morbos curat, quam ſiſtit & invertit, ac morbis aliis viam pandit. Et ut prorſus in praxi medica evitari nequit, tam parce tamen & prudenter vocanda eſt in ſubſidium, quam inter duo mala, ſi utrumque evitari nequeat, minus pro majore, medicamenti loco eligitur. Æque falluntur in effectu anodyno & ſedativo ſuorum pulverum antiſpaſticorum, nitro apprime ſuas vires debentium. Non enim Nitrum anodynum eſt & ſedativum orgaſmi, ſed omnium frigefacien-

cientium & ſimul tonum viſcerum deſtruentium, nervosque & omnes functiones tam naturales quam animales lædentium maximum; mirum ergo non eſt, ſi ejus uſu & abuſu dolores ſiſtantur & ſanguinis commotiones refrenentur: pareſin enim & paralyſin crebro uſu inducere poſſe, jam dudum conſtat.

## XIX.

Narrabo in fidem hujus aſſerti lepidam hiſtoriam, *Domino Dippelio* jam fere elapſis triginta annis Berolini a quodam Medico peregrinante Scoto, ex illuſtri Ducum Kennedorum familia oriundo, occaſione pulverum nitratorum & antiſpaſticorum, qui tum temporis vigere incipiebant, communicatam, nempe jamdum Dn. *Baconis Verulamii* tempore, hujus ſauſu & encomiis nitri uſus medicus in Anglia ita invaluerat, ut pene univerſaliter quivis morbi unico hoc remedio, ut apparebat, profugarentur: nec dubium eſt, quin in medicamen morbis Anglorum endemiis admodum accommodatum fuerit, qui potibus inebriantibus, gulæ & libidini dediti, non poterant non tales contrahere morbos, quibus nitrum in ſpeciem frena injiceret, vel ingruentes paroxiſmos illico mitigaret; ſed cum aliquot annorum tractu, qui huic medicamini aſſueverant, ſentirent, ſe indies viribus langueſcere, ſicut & proſtratus vorandi & bibendi appetitus languebat, & ſexus apprime ſequior de-

pre-

prehenderet ingens ſuæ felicitatis ſummæ in re venerea detrimentum, neſciens, quodnam veneficium viros in Anglia, in hac palæſtra alias admodum ſtrenuos, ligaſſet & ſatagendo huic negotio ineptos reddidiſſet. Detecta tandem hujus ingentis miſeriæ cauſa, adeo communi odio & ira in uſum nitri medicum inſurrexere Mulieres æque ac Viri, ejusque Auctorem *Dn. Baconem Verulamium* maledictis excepêre, ut vix a præmeditati in detrimentum gentis veneficii labe & accuſatione publica ſe vindicare potuerit.

## XX.

Nollem tamen inde nitri uſum prorſus ſuſpectum reddere, quem experientia in febribus acutis & inflammatoriis ſat hactenus ſalvum ſtitit; diſcant modo ex relatis ejus Admiratores, in morbis chronicis Draconem & ſerpentem hunc frigidum, ut a Baſilio Valentino vocatur, ſuſpectum habere, & certo ſibi perſuadere, quod ſi morborum paroxyſmis levamen aliquod afferat, id in eo potiſſimum latere, quod tonum viſcerum & nervorum labefactet, & levia paralyſeos initia ſuppeditet, indies continuato ejus uſu augenda, donec tandem ex medicamine ipſo contractus ſentiatur morbus, proſtratio nempe virium, Atrophia & tandem, ni ceſſetur a pulveribus nitratis & antiſpaſticis, uti vocant, omnium appetituum dejectio, unico recuperandæ nempe per ipſum

medicamen penitus amiſſæ ſanitatis, excepto
Viderint ergo, qui pulveres iſtos ut forte num
mos corradant, tantis laudibus venum expo
nunt, ne morbos ſimul ac ægrotos hujus ve
neficii neſcios, exſcindant. Venenum enim ii
uſu præpoſtero & immodico Nitrum eſt, len
tum licet & inſenſibile, venenum tamen; ſicu
& ipſæ illæ pilulæ decantatæ polychraſtæ &
balſamicæ, ſi uſus earum medicus modum ex
cedat, illud enervando, iſtæ in nimium com
movendo. Ac ita continuo luditur talibu
medicis de corio ſanorum æque ac ægrotan
tium, in quorum arbitrium reponunt, ſuas de
vorare pro lubitu pilulas & pulveres, ſpon
dentes adhuc, nunquam inde timendum ali
quid noxii, in quo tamen adeo fallunt & fallun
tur, ut ſi eventus tragici enumerandi eſſen
vix centum paginarum ſpatium iis ſuffeceri
quos vel unicus *Dn. Dippelius* ſibi obtigiſſe
mihi retulit ex Suecia, Dania, Holſatia & Saxo
nia inferiore redux, in quibus terræ tractibu
quam plurimos offendit, qui abuſu dictarur
pilularum & pulverum ſe fere peſſundederun
*pilulis* hæmorrhagias immodicas, imo lethale
contrahendo, tam ex utero, quam vaſis hæ
morrhoidalibus; *pulveribus* vero, quibus po
dagræ, lithiaſi, malo hypochondriaco & hæ
morrhoidibus ſuppetias ferre decreverant,
adeo enervando & dejiciendo, ut ſpectra po
tius crederes, quam corpora viva, adeo tame
auctoritate & encomiis talium Medicorur
pha

pharmacopolarum excæcatos, ut adhuc malo augendo quotidie incumberent, & inde medicinam ſperarent, unde malum hauſerant.

## XXI.

Nec vana eſſe puto, quæ Dippelius hac occaſione ſuggeſſit, cum nimirum medicamenta primum optima & ſingularis energiæ tractu temporis rurſus vileſcant & nullarum, imo nocivarum virium eſſe deprehendantur: inventores enim talium communiter ſua inventa in nummorum aucupium vertunt, nimium laudant, nunquam non proficua deprædicant, & eo ipſo efficiunt, ut in abuſum trahantur, & tandem ita ea nociva deprehendantur, quæ intra terminos uſus parci & legitimi fuerunt optima, & adhuc forte eſſent, niſi jam contractum odium & nauſea infantem, ut ajunt, cum balneo abjicere ſuaderent. Ut taceam, quod & in uſu legitimo medicamenta eadem ſæpius & per temporis tractum adhibita, cum natura iis aſſueſcat, vim ſuam medicam amittant, & hinc Medicorum illorum opinionem refellant, qui tam paucis medicamentis vulgaribus omnibus in arte caſibus ſemper occurrere ſe poſſe confidunt, ſi modo methodi, quam vane jactant, gnaras inveniant manus. Nimia equidem pharmacopolia laborare medicamentorum farragine, quilibet ſanæ mentis cum Dr. Ludovici facile admiſerit. Ad duodecim vero Apoſtolorum numerum ea cum modernis contrahere

velle & quidem vulgatiſſimæ indolis, æque in-eptum & decumbentibus nocivum audacter aſſerimus, quam aliquot millia vitrorum & capſularum, ut in bene, quæ dicunt, inſtructis pharmacopoliis videre eſt, iisdem repleta oſten-dere. Provida Dei manus non ſine cauſa na-turam ditavit tanto materiæ medicæ apparatu, qui ſi uno tempore in ſubſidium & uſum cede-re nequit, per vices tamen tentandus & explo-randus eſt, idque ſine dubio, majore ægrotan-tium emolumento, quam ſi eandem offam de-glutiendam ſemper objiciamus. Cibum equi-dem & potum, ut commendat ſimplicitas, ita artem medicam bonorum & exploratorum medicamentorum varietas, quæ ſi vel cente-narium excedant numerum, nondum tamen multitudine peccare providus & commodo proximi intentus Medicus praxi ipſa deprehen-det, non ut cœcus fortuita experimenta ca-piens, ſed ea tantum varians & commutans, quæ morbi & ægroti genio alias in univerſum conveniunt. Tale enim in iſto diſpendio inve-niet ad morbos averruncandos compendium, quod nunquam ſperari licebit ex methodi le-gibus, quæ circa pilulas & pulveres polychre-ſtos duo vel tria alia ſemper eadem chorda oberrant, & ſi non noceant, naturæ benigni-tati & energiæ ſuos effectus omnino debent: qui vero, uti dictum, tandem penitus ceſſant: vel ſi intendantur & multiplicentur doſes, no-vos & peſſimos morbos inde produci conſtat.

Enar-

Enarratis ita curæ podagricæ medicamentis fallacibus & palliativis, ad genuinam, ex cauſis cognitis, nos accingimus curam, ſuppeditantes talia medicamenta, quibus, ſi ſimul ægroti aliquam perverſo ſuo genio & conſuetudini vim infere conſultum duxerint, morbus hic, ut creditur incurabilis, optimo cum ſanitatis ſucceſſu & ſine metu pejoris ſubſecuturi mali exſcindi queat.

## XXII.

Tria hic ex cauſis morbi cognitis indicantur Medico præſtanda. I. Coaguli & materiæ podagricæ ſolutio & eliminatio. II. Exhauſtorum ſpirituum & pabuli vitæ luminoſi reſtauratio. III. Ægroti reconvaleſcentis, & jam de ſuperato hoſte triumphantis in ſtatu recuperatæ jam ſanitatis conſervatio, de quibus ſingulis breviſſimis nos expediemus. Ad primum quod ſpectat, jam vulgo Medicorum fallax abſorbentium & ita dictorum antacidorum innotuit energia, quibus etiamſi in ſpeciem ab initio aliquid præſtare videantur, præprimis, ubi magnis & ſæpius reiteratis doſibus talia ingerantur, non tantum nihil efficitur, ſed & ſimul ſtomachus debilitatur, imo quandoque globis ex terreis & oſtraceis pulveribus collectis oppletur, qui, ut teſte Ettmullero ex defunctorum talium pulverivororum cadaveribus apparuit in anſerini & majoris ovi pondus quandoque coagmentati ſunt. Si vero juxta hæc ægroto vi-

num & omnem potum fermenteſcibilem, ut effectum eo citius nanciſcaris, interdicas, & aqua pura, vel infuſis calidis humectare eum præſumas, plane eum brevi tempore dejicies appetitu & viribus, & circa curam adeo deſperabundum reddes, ut malit ſua tolerabiliora ſibi fovere mala, quam novorum hoſtium inſultibus vexari. Alia ergo hic ad ſiſtendam fermentationem in ſtomacho & aliis viſceribus & exterminandum ea ipſa coagulum incedendum erit via, quæ ut Medicis falſis theoriis & ætiologiis occæcatis, primo paradoxa, imo abſurda apparebit, ita tamen ſe ipſa & nunquam fallente experientia commendabit: ut opinionum inſulſarum fumi & nebulæ Sole hoc illico diſſipandæ nil omnino, niſi penes conſulto & præfractario auſu errare volentes, amplius valituræ ſint. Cape ergo ſis axioma ἀξιόπιςον, jam ante aliquot ſecula chymiatris celeberrimis, BASILIO VALENTINO & THEOPHRASTO PARACELSO valde decantatum: *Omnis fermentationis ſiſtendæ & omnis inde ſuborti coaguli diſſolvendi & eliminandi arcanum eſt maximum & nunquam fallens acidum Sulphuris, vel ex Sulphure ipſo per inflammationem, vel quod compendioſius, ex vitriolis & aluminibus, præprimis nativis, ignis tortura deſtillando elicitum & collectum.* Noli tamen ex ſtulta & cruda Alcali & Acidi Philoſophiæ hypotheſi credere tibi his integrum eſſe, loco hujus acidi, aliud

ſub-

ſubſtituere, vel nitri vel ſalis communis ex regno minerali, vel aceti citri, berberum &c. ex regno vegetabili, putando & credendo, acidum eſſe acidum, ac in nullo differre, niſi concentrata magis & intenſa vel remiſſa acrimonia, falleris, ſicut & eadem cæcitate abriperis, ſi putas & credis, acidis oppoſita & cum iis effervescentia alcalia ejusdem omnino eſſe genii & in abſorbendo acido potiſſimum ſuas vires exſerere. Invexit hoc Philoſophaſtrorum delirium venena in artem medicam vel fuſtibus eliminanda, niſi medicaſtri rationibus inducti ad ſaniora redire malint.

## XXIII.

Sed cum difficulter valde Medici æque ac Theologi ſuas orthodoxias abjiciant, & *acidum acido ſubigi poſſe*, ſenſui eorum communi contradictorium & ἀσύςατον non ſine ratione apparuerit, exprimento ante omnia hujus paradoxi veritas evincenda eſt. Nolo tamen hic per me ipſum factis, iisque bene multis lectoribus ſat agere, ſed ea tantum in medium producere, quæ ex relatione dicti *Democriti* hauſi. Is cum in Inſula Danica maris Balthici, *Bornholm* dicta, captivus detineretur, a gerente vices Gubernatoris hujus Inſulæ, qui in eadem cum ipſo arce *Hammershues* degebat, interrogabatur, quid ſentiret de quodam medicamento ſingularium & excellentiſſimarum virium, cujus Drachma quidem ſcutato

aureo veniret, ſed pretium iſtud vile admodum redderet in paucis guttis efficacia maxima. Enarrabat ſimul effectus hujus medicaminis admirandos in morbis admodum pervicacibus, & omnibus aliis Medicis etiam celeberrimis fruſtra impetitis, tam in ſe ipſo, quam aliis tam multis feliciſſima experientia comprobatos. Auctor, ceu ſe venditabat, hujus medicamenti erat Chirurgus quidam legionarius in Exercitu Danico, nomine *Stahl*, qui id ſuum dicebat aurum potabile, & qui jam adeo inde inclaruerat, ut ſine dubio, niſi præmature a Democrito noſtro fabulæ finis impoſitus eſſet, Medicum celeberrimum ſibi homonymum & famæ celebritate & nummorum proventu, ſi non ſuperaſſet, ſaltem æquaſſet. Democritus avidus deguſtandi hujus auri potabilis, quod dictus Præfectus tanquam ſacram in omni caſu anchoram ſemper ad manus habebat, illico deprehendebat, merum omnino eſſe oleum ita dictum vitrioli, materia aliqua combuſtibili colore ex atro rubeſcente tinctum, quod vel ſponte evenit huic oleo, ſi forte aliquid ceræ vel ſuberis, quo lagenæ, quibus aſſervatur, communiter obthurantur, tractu temporis arroſerit. Attonitus omnino hærebat Præfectus, vix dictis fidem adhibens, quam vero facta experientia illico comprobabat, cum ei ediceretur, quod unius crucigeri pretio drachma hujus auri potabilis ubivis venalis proſtet, tandem tamen ſibi gratulabatur, &

Dn.

Dn. Democrito gratias agebat de detecto ſibi tanto compendio, quo hujus ſuaſu & juſſu etiam alios ſibi ſimiles & amicos beabat. Illum Præfectum, edixit, virum fuiſſe fere ſeptuagenarium, ſatis tamen adhuc vegetum & pro menſura tam profectæ ætatis robuſtum, vino, ut in hac gente militari moris eſt, deditum, & jam per triginta fere annos variis morbis ex abuſu hujus potus oriundis, obnoxium; lithiaſi nempe, podagræ, malo hypochondriaco, colicis vehementiſſimis, ardori ſtomachi & tanto acidi collecti in ventriculo proventu, ut quotidie fere, cum mane ſurgeret, vomitu illud rejicere coactus fuerit, tanta quidem præditum acrimonia, ut fauces excoriaret, & dentes ſtupidos redderet. Omnia hæc incommoda brevi temporis tractu ceſſaſſe & evanuiſſe jurans fidem narrabat Præfectus, ſicut & penes centum alios ſibi ſimiles, quam primum illuſtris hujus medicaminis compotes facti illud præſcripto modo & vix comprehenſibili attonitos, literis ſolicitaſſe arcani hujus Auctorem, ut ipſos edoceret, quanam ratione fieri poſſit, ut acidum in primis viis collectum, & quod hactenus tot pulverum abſorbentium & præcipitantium libris, ſuaſu aliorum Medicorum, infringere nequicquam laborarint, paucis guttis alius acidi & quidem acerrimi obtundi & abſorberi tandem potuerit; ſed nil aliud reſponſi loco a ſuo Chirurgo habere ſe hactenus potuiſſe, quam quod ipſos

edocuerit, perverſam & falſiſſimam omnino eſſe tritam Medicorum regulam: *Contraria contrariis* curari, cum ſibi potius conſtet, *ſimilia ſimilibus cedere & expugnari.* Quam ſuam hypotheſin non ſolum hoc, in quo verſamur, experimento, ſed etiam aliis quibusdam exemplis ſtabilire conatus eſt, verbi gratia: *Ambuſta curari calore ignis; gelu tacta admota nive & aqua frigidiſſima; inflammationes & contuſiones impoſitis ſpiritibus calidiſſimis & ardentibus.* Quibus ratiociniis homines hi caſtrenſes facile aſſurgebant: & data occaſione iisdem Medicorum aliorum ætiologias ludibrio exponebant, quibus, cum audirent experimenta, ſæpius aqua in reddenda effectus ratione hærebat, ſi non impudenti auſu impoſſibilia & mendacia ſe audire, eloqui conſultum judicabant.

## XXIV.

Sed nullam aliam mirandi hujus ab acido effectus eſſe cauſam, quam quod fermentationem & aceſcentiam humorum cohibeat, ex ſequentibus diſce experimentis, partim jam notis, partim vero nobis & per nos publico in commodum rei œconomicæ non vulgare, a dicto *Democrito communicatis.* Acidum Sulphuris accenſi jam a multis ſeculis ad conſervanda ab ulteriore fermentatione & vappeſcentia vina adhiberi conſueviſſe, notum eſt, cujus loco, ſi aliquid olei vitrioli probe vino com-

miſ-

miſceas, non tantum idem præſtabis, ſed & vina ab odore ingrato & fume caput petente, quæ ſulphur accenſum inducit, ſimul immunia præſtabis; idem efficiet in cereviſia, quod a ſubſequenti fermentatione turbatur & claram ad ultimam guttam conſervabit. Sic & vina pendula hujus admixtione illico reſtituuntur; imo ipſa aceta, ne in mucorem & coagulum abeant, præſervantur; & ipſa vina dulcia, quæ in Hollandia a fermentatione tueri, & ita bibere, moris eſt, nullo alio artificio melius in deſiderato ſtatu conſervantur, quam admixto iis acido vitrioli, quod non tantum eorum dulcedinem non imminuit, ſed & auget, & vina ipſa generoſiora præſtat. Quo invento *Democritus*, cum in Hollandia commoraretur, penes multos, quibus talia aperuit, ſe magnam iniiſſe gratiam & jam ante ſuum adventum illico moris fuiſſe, mihi retulit; aceta, quæ ex cereviſia alba non lupulata ibidem maxima copia fermentando parant, & quæ partim parandæ ceruſſæ ex plumbo, ipſi adhibent, partim ad exteros, præprimis in mare divendenda mittunt, oleo vitrioli imbuere, libram nempe ejus dimidiam vaſi, ceu menſuræ, quam ſua lingua *oxthofft* dicunt probe immiſcendo, quo remedio acetum jam factum, non ſaltem in limpida claritate & vigore ſemper conſervatur, ſed & corpori ſanius redditur & ſapore, ut & odore adeo gratum emergit, ut cum optimo quovis aceto ex ipſo vino

vino parato certare queat. Tanta olei vitrioli in Hollandia conſumtio allexit multos chymicos, ut ei conficiendo vel unice incumbant: idque tanta copia in furnis peculiariter ad hoc inſtructis parent, ut mirum non ſit, Amſtelodami eo pretio, quo in Germania unica ſæpe libra venundatur, quinque vel ſex libras hujus olei optime parati & concentrati emi poſſe.

## XXV.

Evoluta ita cauſa energiæ medicaminis hujus vere polychreſti, ſi ullum unquam tale meretur nomen, facile patet, omnes morbos tartareos, ſeu ex ſpiſſitudine & coagulo humorum oriundos, inter quos apprime Podagra eſt, hic ſtrenuum ſuum invenire domitorem, quia non tantum fermentationem nimiam ingeſtorum, & ita cauſam primam coaguli ſiſtit, ſed & ventriculum & cuncta viſcera corroborat, & quod maximum eſt, in ſedandis commotionibus & ſpaſmis dolorificis, omnia alia longe antecellit, ſomnumque ſuavem & refectivum conciliat, inſimul omnes excretiones tam alvi quam urinæ, imo exigente ita natura, ſudorem ipſum promovens. Non tamen in enarratis morbis ita crudum propinamus, ad modum Stahlii Chirurgi, ſed affuſo in certa proportione ſpiritu vini rectificato temperamus, non eo ſaltem fine, ut aciditatem ejus obtundamus, quod omnino etiam affuſa ad gratam palato mixturam aqua limpida

pida obtineri poteſt, ſed ut ſolvens habeamus, quo omnia regni animalis & vegetabilis corpora, etiam ipſæ reſinæ & olea promptiſſime liqueſcunt, & in hoc ipſo medicamine virtutes ſuas ſpecificas non tantum diffundunt, ſed etiam exaltant: ita enim menſtruum ipſum jam ſatis efficax medicamen virtute ſua exaltatur, & ingredientibus aliis ad hunc vel illum ex numero tartareorum morbum felicius extirpandum determinatur.

## XXVI.

En tibi, Lector! baſin curandæ podagræ & medicamentum, quo nunquam non patientes tuos levabis; per aliquot tamen menſium ſpatium inſiſtendum eſt, & interponenda ſubinde Tinctura alia balſamica, ſicut & alcalia volatilia, quibus & diæta eupepta, humectante tamen & nutriente, quod *Secundum* erat, exhauſti ſpiritus animales luminoſi facile reſtaurantur, & ſi impoſterum reſtitutus, vino & venere parce & ſecundum exigentiam naturæ, non ad explendam libidinem utatur, & ſubinde per vices nempe menſtruas aliquot doſes Elixiris talis polychreſti capiat, ſecurus, quod *tertium* erat, non tantum, ſed & tutus eſſe poterit, ſe impoſterum non tantum a Podagra, ſed & lithiaſi, malo hypochondriaco, & moleſto admodum negotio hæmorrhoidali fore liberum; ſicut & febres catharrales, coryzæ & tuſſes vix eum unquam attingent, aut

aut ſi forte aëris injuria attigerint, facillime eo ipſo medicamine tollantur.

## XXVII.

Nec tamen uſus hujus acidi tantum circa morbos tartareos & coagulativos, ſed & diſſolutivos & putrefactivos ſe adeo commendat, ut ſi illud dixeris, totius corporeæ naturæ Balſamum & vinculum & generale ſanguinis & omnium humorum correctivum, non ſane nimius ejus encomiaſtes putandus ſis; Febres enim ardentes malignæ & putridæ, imo ipſa peſtis, ſicuti & morbilli, variolæ, purpura tam alba, quam rubra, omnes affectus eryſipelatoſi, Scorbutus denique & ejus producta, ſcabies varii generis, imo elephantiaſis, Pſora & lepra huic domitori tandem cedent; ut taceam uſum in chirurgia ſtupendum ad ſanandum ulcera cocoëthica, herpetes & alias corperis deformitates; ſi modo manibus teratur Medici experti & naturæ gnari, qui ei jungere norit, quæ conveniunt & vel viam ejus virtuti pandunt & amicas in adjuvando manus jungunt. Quo vero modo idem iſtud medicamen morbis ex diverſis, quin imo contrariis cauſis oriundis obviam ire queat, & qua agendi ratione tam nodos & coagula diſſolvere, quam nimium jam diſſoluta & fatiſcentia conjungere & firmare rurſus compos ſit, jam in apricum deducetur, dum alterum diſſertationis noſtræ membrum diſcutiemus.

PARS

# PARS SECUNDA.

## DE
## *ARTHRITIDE VAGA ET SCORBUTICA.*

### §. I.

MOrbus iſte, quem hodie *Scorbutum* barbaro vocabulo & ex belgico *Scheurbuik*, germanico *Schaarbock* deducto dicimus, Medicis veteribus tam græcis, quam Arabibus nunquam forte cognitus fuit, & hinc optimo jure inter morbos Regionum Septentrionalium locum & originem ſortitur. Licet enim Hippocratis *ileon hæmatites*, ſeu colica ſanguinea huc quibusdam forte quadrare videatur, ſicut & Plinii Scelotyrbe, qua Romanos milites in Batavia afflictos fuiſſe queritur, nondum tamen inde evincitur, vel Romanos unquam hujus morbi ſeptentrionalis habuiſſe ideam ex experientia in ſuis terris hauſtam. Quin adhuc noſtris diebus, quibus in locis maritimis ſeptentrionalibus morbus iſte adeo invaluit, ut paucos omnino incolas ab eo non tactos & infectos invenire detur, & ejus effectus & ſymptomata cuivis vel ex plebe obvia & cognita ſatis ſint, cauſa tamen hujus mali & τὸ διότι adeo adhuc latet Medicos, etiam omnium aliquo

quo calculo celeberrimos, ut fere in univerſum hic delirare & igni in praxi oleum affundere videantur. Neoterici præprimis & Carteſianæ Philoſophiæ deliriis occæcati eo prolapſi ſunt dementiæ, ut morbum hunc ex obſtructione & ſpiſſitudine ſanguinis circulantis, cujus cauſam acidum proclamabant, unice deducerent & ſimul aſſererent, omnem omnino morbum ſcorbuticum eſſe, & tantum ex ſede peculiari & majore vel minore cohibitione humorum circulantium, ſuos nanciſci characteres ſpecificos. Pater ergo hic omnium morborum Scorbutus Endemius factus eſt & Avus acidum inſpiſſans & coagulans, cujus proinde uſus in Medicina æque ac diæta ceu cane & angue pejor fugiendus ſit. Tota hinc horum materia medica æque ac methodus in eo verſabatur, ut alkalibus tam fixis ſalinis & terreis, quam volatilibus armati morbos omnes aggrederentur, ac ſimul opium peſtiferum his opponerent, ſi ſentirent, morbos plurimos inde non tam tolli, quam exaſperari, præprimis vero peſſimum omnium reliquorum genitorem Scorbutum. Ridentur merito acuti hi Philoſophi ſubinde a nautis alia nimirum experientia edoctis, ſe nullo alio remedio ſuum ſcorbutum ſuperare facilius poſſe, quam acido citri & aurantiorum pomorum: quam primum enim terras horum fructuum feraces in ſuis itineribus maritimis attingunt, & ſeſe his fructibus & eorum ſucco pro lubitu beandi commodam

nan-

nanciſcuntur occaſionem, ceſſat illico ad tempus aggravantis mali ſenſus, qui ſine dubio in totum ceſſaret, niſi vitæ genus, junctum cum eſculentis & potulentis nautarum ordinariis de novo hunc morbum produceret.

## II.

Ignotus ergo utplurimum ſcorbutus quoad originem & cauſas ſuas hactenus manſit hoſpes, etiam in iis locis, ubi endemiè graſſatur, & tantas quotidie edit ſtrages, per præpoſtera hinc, imo noxia remedia fruſtra tentatus eſt, & præprimis noviſſimis noſtri ævi Medicis, qui omnes fere morbos ex motuum anomalia deducunt & alterandis humoribus parum vel omnino etiam nihil ad reſtaurandam ſanitatem impendunt, adeo turbavit ſuæ Phyſiologiæ & Pathologiæ circulos, ut hic quaſi attoniti ſentiant, nolint, velint, totum ſuum medendi apparatum, tam theoriam, quam praxin evaneſcere & nil obtineri vel ſuis pilulis & pulveribus vel venæſectionibus & hirudinibus & ſcarificationibus, vel anodynis vel ſudoriferis, vel imperáto motu & quiete, vel etiam purgantibus, laxantibus & adſtringentibus, vel denique expectatione cum optima methodo conjuncta, ſed omnia in ſcorbuto & ab eo productis his medicinis & methodis ipſis indies in deterius vergere, & nullum omnino reſtare conſilium, quam quod in alterandis humoribus tam ex fonte medico, quam diætetico,

cognitis prius genuinis hujus morbi cauſis, capitur & petitur.

## III.

Ad cognoſcendas vero genuinas Scorbuti & ejus ſymptomatum cauſas, craſis ſeu mixtura ſanguinis & reliquorum humorum in corpore ſano, prius evolvenda eſt, ut conſtet, quibusnam principiis hi liquores in ſtatu naturali tales ſint, quales ad nutritionis opus & bene ſubeundas ſuas reliquas functiones animæ vel principio vitali inſervire queant. Hic rurſus prius removenda veniet falſa & cruda modernorum mixtio, qua admiſſa vel ſuppoſita mirum non eſt, non tantum in Scorbuto illos unquam non, nocenter & præpoſtere agere non poſſe, ſed & in omnibus reliquis morbis multis erroribus peſtiferis ſeſe involvere. Ajunt enim & credunt, cruda ſane & toti naturæ reclamante hypotheſi, tria in ſanguine totam ejus mixturam abſolvere, *terram* nempe, *oleum* & *aquam*, quæ tria cum ſint, ut experientia illos docet, difficillimæ mixtionis & cohæſionis, non poſſe non, niſi continuo motu, tam inteſtino, quam progreſſivo in mixtionis ſtatu contineri, ceſſante ergo, vel impedito motu illico ſeparari a ſe invicem ea debere & machinam animalem fatiſcere & computreſcere, neceſſum eſſe. Nihil ergo Medico in arte ſua magis eſſe ſpectandum, quam motus principii vitalis bene dirigere & adjuvare, ſi ſint nimii, compeſcere, ſi deficiant,

ex-

excitare, ſi moderati ſint, etiam in ſtatu mor-
ɔifico, expectare ſaltem & ſpectatorem agere, donec natura vel anima αὐτοκρατία ſua rem conficiat & de hoſte triumphet. Sed falli eos & fallere, innumeri caſus docere poſſunt, & inter hos vel unicus noſter Scorbutus, quem tandem a regulis ſuis eximendum ipſi fateri coguntur, ſed novo commento alio, dum non tam dyſcraſiam maſſæ ſanguineæ hic in culpam trahunt, quam *lymphæ nutriciæ*, uti & hanc talem erronei vocant, nimiam ſalſuginem; quaſi lympha corrupta & nimium ſalſa per naturam eſſe poſſit, non ſimul corrupta & nimium ſalſa maſſa ſanguinea, cum tamen lympha e ſanguine tam ſeparetur, quam rurſus in eam refundatur & intime miſceatur.

## IV.

En! quantis ineptiis Medicos implicare poteſt cerebrina hypotheſis, cui ut velificent, omnia miſcent, ajunt, negant & pro lubitu determinant & combinant, quæ nunquam ſibi cohærent; ſicut referente mihi Dippelio, aliquis ex talium grege edicebat, ut ſuſpectum redderet medicamen, quia acidum, quod tamen in pellendo calculo, podagra, imo ipſis ciendis menſtruis evacuationibus optimum eſſe didicerat, & publice prædicarat, inſpiſſare tamen iſtud poſſe lympham nutritiam & vel eo naturæ inimicum eſſe. Quam tetrica philautiæ & invidiæ medicæ deliria! Sed & totius hujus ſyſte-

matis circa motus potiſſimum occupati abſur-
ditas ſe ipſam palpandam illico ſiſtit, dum mera
contradictoria connectit. Animam nempe
vel principium vitale dicunt immediatam mo-
tuum cauſam, eam ſapienter & deſtinato con-
ſilio, aliquando etiam per præcipitantiam &
errorem abreptam, machinam & humores
movere aſſerunt, non tamen præceptis morali-
bus animam in ſua medicina inſtruunt, ſed res
corporeas ei devorandas objiciunt, quibus
annituntur motus ejus vel promovere vel in-
hibere, & in temperamentum reducere, agunt
ne hæ pilulæ, pulveres &c. immediate in ani-
mam ad ejus affectus & errores corrigendos,
an in humores & partes ſolidas, eas nimirum
modo corporeo & mechanico aptas reddem
do, vel alterando, ut anima eo facilius & ex-
peditius reſtitutis jam inſtrumentis labentibus
ſuo officio fungi poſſit? Si prius dixerint, ſtul-
titiæ notam nunquam evitare poterunt; ſi po-
ſterius, jam in vado eſt, in alterandis humo-
ribus totam omnino occupari medicinam, in
quantum a Chirurgia diverſa eſt, & neſcire
hos Novatores, quid ipſi dicant & velint, in
nova ſua Phyſiologia & Pathologia alios incul-
pando & corrigendo per hypotheſes, cum ta-
men ipſa praxi ea facere omnino cogantur
quæ omnes reliqui faciunt & ut decet, etiam
verbis convenientibus exprimunt, quæ faciunt
id eſt: ex experientia philoſophantur & axio-
mata deducunt.

V. Re

## V.

Remoto ſic falſiſſimarum & cerebrinarum hypotheſium impedimento ad enotandam veram ſanguinis in corpore ſano craſin nos accingimus, qua introſpecta, facile in conſpectum ſe dabunt legitimæ miſtionis principiorum ſanguinem componentium turbæ, vel ſubnaſcentes dyſcraſiæ, quibus deficiente hoc vel illo miſtionis principio, vel etiam modum excedente omnis omnino morborum cohors in machina corporea ſponte ſubortorum ſuam debet originem, in quantum nempe animæ ſuum corpus animantis & moventis actiones vitales & naturales impediunt & diſturbant, & variis obſtaculis nauſeam & iram ejus concitant, vel eandem ipſam ægrotare & male ſe habere faciunt. Id enim, quod ſenſuum ſuavium & amicorum ſubjectum eſt immediatum, etiam inimicorum & doloriferorum ſubjectum eſt immediatum, per conſequens anima mori vel diſſolvi neſcia, non vero corpus, ægrotat, licet ex machina corporea ſuæ ægritudinis & ſanitatis occaſiones & cauſas, ut ajunt, procatarcticas capiat, prout nimirum in ea obveniunt vel impedimenta vel compendia ad deſtinatas ibi in corpore actiones impedite vel prompte ubeundas, quæ ex conſtitutione & miſtione alimentorum, materiæ alterandæ & digerendæ potiſſimum dependent, & in *maſſa ſanguinea* ante omnia ſpectanda veniunt, ex qua,

quicquid anima tam ad conſtruendum, quam amplificandum & nutriendum corpus materiis aptæ conficit & ſegregat, tanquam ex nunquam exhauſto promptuario, ſemper haurit.

## VI.

Maſſa hæc & liquamen rubicundum quatuor omnino ſemper conſtat principiis ſubſtantialibus, quæ ita connectuntur & intime miſcentur, ut tamen ope analyſios Chymicæ rurſus ſeparari & ſingulatim oculis ſiſti queant. Sunt ea non, ut crudi coqui autumant, *terra*, *aqua* & *oleum*, ſed *ſal volatile*, *acidum*, *oleum* & tantum *aquæ*, quantum ad reliqua in fluore conſervanda requiruntur; non hæc difficulter vel non niſi motu continuo in miſtione ſibi cohærent, ſed promptiſſime coëunt, & non niſi difficulter & multo in Chymia labore ſeparantur. Separata a ſe invicem & colore & ſapore diverſa ſunt, conjuncta rurſus liquamen rubrum conſtituunt, quod & diverſos antea ſapores ſub una dulcedine lactea rurſus abſcondit. Ut tamen illico in tantum hujus theſeos veritatem introſpicias, injice in ſanguinem extravaſatum aliquid cinerum clavellatorum vel alius ſalis alcalini fixi, quod ſtatim abſorbto, ut ei moris eſt, acido ſanguinis, ſal ejus volatile urinoſum vinculis liberabit & in auras avolare faciet, ſi modo nares admoveas, odore ſuo conſueto ſatis ſenſibile. Evicto ergo hoc experimento ſunt duo præcipua ſanguinis principii

cipia conſtitutiva acidum & alcali volatile, de duobus reliquis nemo hactenus litem movit. Quamdiu ergo hæc quatuor principia ſanguinis conſtitutiva, proportione debita & exquiſita connectuntur, quæ tamen proportio etiam in ſtatu ſano pro diverſitate temperamentorum variat, tota machina inde bene habet & morbis internis præſcinditur occaſio.

## VII.

Qualis enim ſanguis, tales etiam ex eo ſublimati & per nervos in totum corpus diſtributi ita dicti Spiritus, ſeu pretioſiſſimus principii materialis theſaurus, ex quo non tantum omnes partes ſolidæ & continentes compinguntur & nutriuntur, ſed & ipſis reliquis liquoribus, quibus rurſus miſcetur, vis & elater conciliatur ad conſtituendum eo ipſo vaſorum continentium tonum & vigorem & promovendum liquorum circulum. Quales denique hi ſunt ſpiritus, talis etiam eſt *lympha*, quæ nil aliud eſt, quam reſiduum & phlegma quaſi iners horum ſpirituum, eorumque vehiculum, & in comparatione cum nervis idem omnino præſtant vaſa lymphatica, quam quod venæ reſpectu arteriarum: ſicuti enim venæ ſanguinem arterioſum jam ſuis ſpiritibus depauperatum rurſus in corde cum ſanguine arterioſo miſcent, qui jam ex chylo denuo ditatur Spiritibus, ita vaſa lymphatica effœtum humidum nerveum in chylum reducunt, ut cum ſanguine arterioſo in

officinam cerebri denuo aſcendat, & ibi expreſſorum in ſubſtantia corticali cerebri ſpirituum vehiculum eſſe queat, per nervos ex cerebro & ſpinali medulla in totum corpus protenſos rurſus toti machinæ communicandorum, ad nutritionis aquæ ac reliquarum functionum tam naturalium, quam vitalium & animalium opus rite peragendum. Soli enim hi Spiritus animæ inſtrumentum & vehiculum ſunt immediatum, & currus triumphalis, quo quaſi vehitur & non impedita, id eſt, ſana ſuo fungitur officio.

## VIII.

Miranda merito hic venit modernorum cæcitas obſtinata & ineptæ arreptæ hypotheſeos defenſio, dum & ſpiritus negant, & ſimul nervos, quia nulla notabilis in iis deprehendatur cavitas, iis diſtribuendos ineptos judicant, neſcientes, quid officii alias his partibus tam nobilibus tribuere debeant; cum tamen talis, quæ in nervis conſpicitur, ſtructura, unice his devehendis & diſtribuendis ſpiritibus, nec ulla alia, apta eſſe poſſit. Si enim ut vaſa lymphatica, canales tenues eſſent nervi, ob vim horum ſpirituum elaſticam in corpore vivo & calido illico rumperentur, ſi craſſi, ut arteriæ & venæ, humidum iſtud ſpirituoſum, omnibus ubique partibus ſumme neceſſarium, non ubique deponi poſſet. Nulla ergo ſtructura alia huic negotio apta fuit, quam tenuiſſimorum

filamen-

filamentorum funiculus & congeries, per quorum interſtitia; ut in filtris laneis videre eſt, humor iſte ſubtiliſſimus proreperet, & ſimul undique per latera exſudans & exhalans omnes partes irrigaret, nutriret & tonum vel tenſionem earum in debito vigore conſervaret. En! quanta injuria afficitur natura; & quanto damno & tenebris opprimitur res medica, negatis enim his Spiritibus, nervorum officium conſulto ignoratur & optimum vitæ & animæ pabulum & theſaurus, cui præparando & in uſum animæ vocando vel tota tam artificioſe extructa machina & vaſa ejus continentia apprime tendunt e natura, ſi poſſibile eſſet, eliminari nefando auſu præſumitur! Expedita nobis jam via eſt, genium morbi, quem *Scorbutum* dicunt, introſpicere, ejus cauſas proximas & remotas notare & ignoto hactenus utcunque in cauſis ſuis malo, debita & congrua medicamenta opponere.

## IX.

Sicut in ſpecie ſuperiore Arthritidis tartareæ acidum nimium ſubminiſtravit coagulationis in ſanguine & inde a ſegregante, & provida natura coacervati muci, & ex hoc ſubnaſcentium tandem duriorum concretionum pabulum; ita e contrario in Scorbuto & omnibus aliis morbis reſolutivis & putrefactivis defectus acidi compagem & craſin genuinam ſanguinis laxat, principia componentia disgre-

gat, & ſpirituoſum vel ſal volatile exhalare facit, quo facto neceſſum eſt, omnes humores reliquos labefactari, productionem Spirituum impediri, & omnia illa, quæ hoc malum Scorbuticum concomitantur, ſymptomata, præſto eſſe. Deſtruitur vero & abſorbetur iſtud vinculum humorum acidum hic nimia ſalſugine, quæ ſe ipſam in hoc morbo manifeſtat, dum & ſaliva & ſanguis ultra modum fluidus, & ſapore ſalſuginem prodens, neminem de hoc dubitare faciat, & vel ipſi liquorum & fluidorum in corpore animato alterandorum hoſtes acerrimi, motuumque animæ autocraticorum admiratores fateri hic cogantur lympham, quam fingunt nutritiam, nimia ſalſugine corruptam & corpori debite nutriendo ineptam eſſe. Unde vero hæc ſalſugo, quam anima omni ſua ſolertia & autocratia ut hoſtem ſuæ officinæ infeſtum, ſegregare & expellere nequit, dirigat etiam & patiatur dirigi motus ſuos, prout Medico ſuccurrenti libuerit, originem trahat, ulterius indagandum eſt.

## X.

Novimus & diximus jam ſcorbutum morbum Regionum eſſe præprimis verſus Septentrionem ſitarum, inque iis adhuc præprimis accolarum maris & rei nauticæ deditorum; hæ circumſtantiæ quosdam induxerunt, ut crederent, terræ exhalationes & ſalſos e mari elevatas atomos, id eſt: aërem ipſum, præcipuum huic

huic malo ſuppeditare pabulum. Sed falli eos vel ex eo conſtat, quod in locis auſtralibus & vel ſub ipſo circulo æquinoctiali, ubi mare maxima abundat ſalſugine, in ipſis etiam littoribus pateat, Scorbutum rarum eſſe hoſpitem & non niſi a peregrinis allatum; ſicuti & falſiſſima eſt eorum opinio, particulas ſalis marini cum aqueis exhalationibus ſimul in auras elevari, aqua enim pluvia ſub linea æque dulcis deprehenditur, ſicut & in locis ſeptentrionalium maritimis ac in mediterraneis invenitur, ſi non dulcior; ac in mari exhalationes omnino eſſe ſalubriores dulciores & leviores ac in terra eſſe poſſunt, ipſa ratio & experientia evincit. Superficies enim aquæ plana & corpus ejus reſpectu terræ magis homogeneum, minime tam poroſum & tam diverſis ſuccis, quibus terra ſcatet, non imbutum, tam craſſos & inquinatos vapores in atmoſpheram mittere nequit ac e terræ poris admodum patulis aſcendunt, hinc & phthiſici, aſthmatici, & omnes, qui non adeo expeditis gaudent reſpirationis organis, in navigationibus illico melius habent, ob auram magis tenuem & puriorem. Et ipſi globi ex bombardis ignivomis per aërem in ſuperficie aquæ trajecti, tantam lineam viſus rectam non conficiunt, ſed citius, ac in plano terreſtri fit, centrum petunt vel labuntur, cujus experimenti bombardarii plebeji non ſolum, ſed & Matheſeos non imperiti, cauſam genuinam ignorantes, ajunt: aquas attrahere glo-

globos ac tam longe, ut in terra fit, eos ferri, impedire, cum nil aliud cauſæ ſubſit, quam quod globus vi emiſſus per medium denſius in terra, in medio termini a quo & ad quem, majorem & altiorem omnino deſcribat arcum parabolicum, ob majorem atmoſphæræ a centro ad circumferentiam latæ reſiſtentiam, quæ in medio tenuiore & leviore tanta eſſe non poteſt, quo unice evenit, ut per ſuperficiem aquæ emiſſus globus tantam deſcribere lineam parabolicam minime poſſit, ac citius, quam in terra fit, fundum & centrum terræ petat.

## XI.

Cum ergo atmoſphæra & ipſa regio, terræque effluvia nihil producendo Scorbuto conferant, in cibo & potu ſeu nutrimento cauſa hujus mali potiſſimum quærenda veniet, nec difficili indagatione indigebit: cum enim terræ boreales gratis palato fructibus & alimentis ex regno vegetabili petitis deſtituantur, carnibus vero & re pecuaria abundent, ut & in mari & fluminibus ingenti variorum piſcium proventu, totum fere alimentum earum incolis cedit ex hoc promptuario, cibus hic putredini obnoxius ſale conditur, & non niſi ſalſus nautis uſui eſſe poteſt; potus communiter cereviſia craſſa eſt, quam ſpiritibus ardentibus ex frumento aque incolis ipſis paratis, vel ſpiritu vini ex Gallia navibus advecto corrigere & dirigere ſe poſſe, credunt, vel etiam

pipe-

pipere & aliis aromatibus, quæ ex Oriente apportantur, & nullibi terrarum, quam in Septentrione tanta copia ad condiendos cibos adhibentur. Ex hac diæta Scorbutus ultro propullulat: concurrunt enim hic omnia, quæ acidum & fermentum ventriculi deſtruere poſſunt, maſſam ſanguineam corrumpere, vinculo ſuorum principiorum, acido nempe, privare; ſalſedine nimia & fixa quidem lympham ejus opplere, volatilem vero jam ſui factam juris &, acido ceſſante, non ut natura exigit, amplius implicitam, aucto per ſpiritus ardentes & aromata calore in auras expellere, & ita totam machinam pretioſa ſua ſupellectile Spiritibus nempe privare. En! tibi in compendio originem Scorbuti & omnium Symptomatum, quæ eum concomitantur laſſitudinis nempe & dejectionis virium, dolorum in omnibus omnino per vices membris erodentium, hæmorrhagiarum, ob humorum nimiam fluiditatem modo hic modo illic erumpentium, ſenſuum externorum, præprimis viſus hebetudinem, halitum ex putredine humorum fœtidum, ſcabiem, puſtulas & ulcera cæoëthica, pilorum ipſorum tandem profluvium & totius corporis ſtatum cadaveroſum.

## XII.

Ex indicantibus his cauſis & ex genio ipſius morbi penitus cognito, jam ultro patet mali hujus curatio & ſanitatis priſtinæ reſtitutio.

Altas

Altas quidem id malum agit radices, & nullus alius datur morbus, qui ita omnes humores & totam per conſequens machinam, quæ ex humoribus pendet & nutritur, tam intime pervadat & corrumpat, nec ullus tam facile per nativitatem propagatur & multiplicatur, cum impoſſibile fere ſit, ex matre hoc malo infecta non naſci infantem jamjam Scorbuticum, inde & in talibus locis præprimis inter homines plebejos malum iſtud tractu temporis adeo endemium factum eſt, ut fere ordinarium ſanitatis ſtatum, niſi admodum invaluerit, conſtituat, cum lautioris ſortis homines, qui diæta vinoſa cibis recentibus & eupeptis gaudent, ſe utcunque adhuc ab hoc malo tueantur, nam & ipſe aër & atmoſphæra in urbibus potiſſimum populoſis, putridis ex corporibus vivis exhalationibus corrumpitur potius, quam per ſe & ex loci genio aliquid ad producendum hoc malum confert, & hinc tempore præprimis æſtatis in his regionibus admodum ferventis, illi optime ſibi conſulunt, qui ruri auram benigniorem capere poſſunt.

## XIII.

Cura tamen adeo difficilis non eſt & optime ſuccedit, etiam cum omnia deplorata jam apparent, dummodo medicamenta debita ſubminiſtrentur, & variata diæta ſuccreſcentia mali ſemina extirpentur, absque hoc enim tollitur quidem malum, ſed brevi reverſurum. In diæta

vi-

vitanda erunt, quæ hactenus huic malo producendo apta declaravimus, & ſubſtituenda his contraria, quo facto vel ſolo regimine diætetico tractu temporis morbus hic, etiamſi altas egerit radices, omnino ſuperari & exſcindi poteſt. Experiuntur id nautæ, qui ægritudine hac illico levantur, ſi in longinquis ſuis navigationibus littora vel inſulas attingere poſſunt, ubi oleribus & herbis recentibus, malis citriis & aurantiis, carnibus recentibus & earum jusculis, carne etiam teſtudinum recens coctâ, vel oſtreis recens comeſtis, & ſucco citri loco aceti, conditis humores ſuos depravatos alterare & aqua recente diluere poſſunt; valent hinc bene ad tempus, donec diæta in navi priſtina rurſus benignos naturæ humores abſorpſerit & infenſum hoſtem reduxerit.

## XIV.

Ex fonte pharmaceutico quæ haurienda, vel etiam ex ineptis Medicorum hypotheſibus vitanda ſint, jam enarranda reſtant. Qui ſcorbutum ex acido abundante & hinc orto nimio coagulo deduxerunt, non poſſunt non ſuis medicamentis & methodo malum illud exaſperare & igni oleum affundere, exeſſe ergo hic jubentur, tanquam nociva omnia medicamenta acidum infringentia & præcipitantia, ſeu teſtaceorum pulveres ſint, ſeu ſalia, ſeu tincturæ alcalinæ ex antimonio & reliquis metallis ope nitri paratæ, omnia itidem ex regno vege-

geta-

getabili amara, ſive herbæ ſive reſinæ ſint & gummata, imo ipſæ herbæ antiſcorbuticæ ſal volatili ſcatentes & acres, niſi ſimul acid junxeris, veluti cochlearia, naſturtium, Ery ſimum, Sinapi, raphani omnis generis & Quod experientia edocti Medici quidam du plicem finxere ſcorbutum, calidum nempe & frigidum, priori herbas acidulas dicarunt, po ſteriori vero jam enarratas acres, nec tame hoc ſelectu multum profecerunt, niſi forte variata diæta ſubſidiarias præſtiterit manus & rem confecerit. Qui motuum hic anomalia forte cum modernis in ordinem redigere, mo limina naturæ ſpaſtica ſibi fingere in dolorum ſenſu & evacuantibus venæ ſectionibus & ano dynis, purgantibus & ſudoriferis ſuarum re rum ſatagere præſumunt, plane deſtructore & homicidas agunt, ſicut & illi fruſtra & ab ſurdi ſunt, qui ex imperato motu corporis hic multum ſubſidii ægrotis promittunt, laſſitudo enim & dejectio virium hunc morbum com comitans augetur motu & ſudore, non noxia hic, ſed optima eliminantur, lympha nimirum tenuis & paucum, quod reſtat, ſpirituum vola tilium, quibus ſublatis, malum indies ſua ca pere incrementa neceſſum eſt.

## XV.

Ex herbis recentibus, acidæ hic volatilibus & acribus ſemper jungendæ ſunt, & ſuccus ea rum expreſſus, omnibus aliis præparatis ante ponen-

ponendus, ſi aliquid ſubſidii ſolidi ex regno vegetabili tibi promittere velis. In defectu herbarum recentium, fructus, cum aciditate ma-tureſcunt, in ſubſidium vocandi, & præprimis eorum ſuccus acidus, veluti malorum citriorum, aurantiorum, tamarindorum &c. Quibus per vices loco herbarum acrium & volatili ſale abundantium, ipſum ſal volatile ex regno animali per chymiam paratum & ſpiritus ita dicti urinoſi vino Rhenano vel alio ſoluti & diluti jungi vel interponi poſſunt. Omnium vero medicamentorum caput & compendium in hoc morbo extirpando eſt nunquam ſatis laudatum acidum vitrioli, cujus unica drachma plus in curando Scorbuto proficies, quam multis aliorum ex regno vegetabili petitorum acidorum libris; huic, quod ubique locorum ſemper in promptu habes, ſi debite ſalia volatilia & salium ſpiritus, qui itidem in omnibus pharmacopoliis proſtant venalia, per vices interponere & jungere noveris, & ægros tuos ſcorbuticos, simul conveniente diæta inſtruxeris, id eſt, carnibus recentibus & eorum juſculis, oleribus ex horto petitis, & ſi rei domeſticæ patitur ratio vino bono Rhenano vel Moſellano eorum alimento proſpexeris, etiam deploratiſſimos hujus morbi ſtatus & caſus brevi temporis tractu ſuperabis. In defectu tamen vini aqua pura, & infuſum ex herba Thée, vel aliis etiam noſtræ terræ convenientibus herbis cum lacte hauſtum; idem facile præſtabit. Quæ loca



aci-

acidulis gaudent, ſcorbuticis potum ſubmini-
ſtrant nunquam non convenientem & profi-
cuum, & ſuccedaneæ acidulæ etiam arte facile
paratu ſunt, ſi aliquas guttas acidi vitrioli libræ
fontanæ & limpidæ probe immiſceas.

Vale Lector! Et his ſincero animi affectu &
propalandarum tantum veritatum utilium cu-
pido communicatis ſub divina benedictione
feliciter fruere, nobisque ſi placet, fave, aut
etiam, ſi forte non ad tuum palatum ſcribere
datum fuit, noſtræ imbecillitati, vel qui omnia
præjudicia & auctoritates reſpuit, candori ig-
noſce. Ut vero corrugatam forte frontem &
vultum tetricum rurſus explicare & ſerenare
antequam hinc abeas, queas; en tibi, epimetri
loco, adhuc experimentum & hiſtoriam valde
notabilem! quæ ſane meretur, ut omnes noſtri
ævi Philoſophi æque ac Medici aures ſuas eri-
gant, viſum acuant, & ſymbolas ſuas, ad inda-
gandas hujus Phœnomeni rationes, in com-
mune conferant, ac receptas hactenus hypo-
theſes vel corrigant, vel abjiciant.

## *Non occultus amplius, ſed mani-feſtiſſimus in & ex aura, ſive atmo-ſphæra vitæ cibus,*

SEu Experimentum Medico-diæteticum ſin-
gulare, quo viginti dierum vel trium
hebdomatarum ſpatio homo macilentus, cæte-
ra tamen ſanus, & expeditis præprimis reſpira-
tion

tionis organis gaudens, in tantum ſui corporis mole augetur, ut pro menſura ſtaturæ & dimenſione Sceleti 60. 70. 80. imo quod 100. librarum incrementum capiat, toto hoc temporis tractu non niſi 7. libras cibi ac potus, ſimul computatorum, aſſumens. Communicavit hæc nobiſcum *Dnus Dippelius*, ſimul permittens, imo volens, ut ferente occaſione publici juris faceremus, ne forte hoc experimentum multum & utilitatis & jucundæ curioſitatis in receſſu habens, denuo oblivioni traderetur, ſed ulterius indagatum & experientia comprobatum, Medicos æque ac Philoſophos excitaret in rationes hujus tam rari phænomeni inquirere.

Anno M DCC VI. elapſo, antequam Dn. *Dippelius* ex Germania in Bataviam ſub autumnum anni ſequentis concederet, Amſtelodami ſingulari & nunquam hic audito fato defunctus erat quidam Medicus, nomine *Bronck*, ex Pharmacopæo in Doctorem Medicinæ promotus, is tam ſuis in arte experimentis, quam ipſo mortis genere (de quo poſtea) ſatis celebris, ſe venditabat Auctorem & inventorem ſupra indicati medicamenti & experimenti, quod nemo fere credebat, cum a priore in rationes hujus præparationis & exſpectati inde talis effectus, perveniri poſſe, difficilius ſit intellectu & creditu, quam rationes dare effectuum inexpectatorum, qui ex medicamento & experimento ſine dubio per caſum aliquem

fortuitum & neceſſitatis leges ſuborto in mun
dum prodierunt. En! tibi vero totum arca
num, in quo detegendo non adeo tenax era
Medicus, & quod Chriſtianus Democritus
quodam mercatore huic Doctori familiari, i&
qui ipſemet in ſuo corpore, præter alios com
plures, id medicamen optimo cum effectu ex
pertus erat, eadem liberalitate accepit, qu
mihi communicavit & nunc toti orbi diſpa
leſcere facimus.

Capiebat dictus ex pharmacopœo Docto
Medicinæ *quatuor*, uti vocant ex veterum pl
citis & formulis, *ſemina majora calida, qua
tuor etiam calida minora*, ſat nota ubivis no
mina, & quidem partes anaticas ſingulorum
℥jj. His addebat herbarum Siccarum, Meliſſa
Salviæ, roriſmarini & lavendulæ aa tantun
dem, id eſt ℥jj. His omnibus prius contuſis i&
commiſtis affundebat vjjj. libras Spiritus vin
rectificati, ac in Balneo deſtillabat, quicqui
ſpirituoſi aſcendere poterat, id quod transſcen
derat, denuo de novis ſpeciebus calidis deſti
lando excipiebat. Emergebat hinc ſine dubi
ſpiritus vini oleo volatili harum ſpecierum ca
lidarum ſatis gravidus & ignis igne auctu
quem propterea hic Medicus, ut Inventore
vel quaſi novorum arcanorum aſſolent, nov
mactabat nomine & ſuum *Sulphur* vocaba
Hujus ſui ſulphuris partem unam jungeba
partibus duabus ſpiritus vini gallicani ord
narii, id eſt, non rectificati, eaque mixtun
com

conſtituebat potum ordinarium illius, qui pinguefieri cupiebat, ſat puto, adhuc igneum, & non tam ad nutriendum, quam conſumendum aptum. Hujus tamen potus indies ſeu per ſingulum Νυχϑήμερον ultra duas uncias capere non licebat: huic porro potui jam ſatis ſicco jungebantur panis triticei bis cocti tres unciæ, & ſi appetitui etiam indulgere libitum erat, pinguefaciendus poterat dimidium hujus panis bis cocti cum tanto pondere carnis recentis aſſatæ commutare. Primo & etiam ſecundo, non tamen adeo intenſe, die saginandum ſubinde urgebat ſitis & faucium ſiccitas, quæ tamen hauſto dimidio cochleari hujus potus ad tempus ceſſabat. Tertio demum & ſequentibus diebus, non tantum ſitis, ſed etiam fames penitus ceſſabant, & os ſemper saliva tenui abundabat, potus tamen & cibi præſcripti portio quotidie ingerenda erat.

Primo octiduo inexpectatus & minime inventus ſe ſiſtit effectus: ſaginandus nempe laxuit quaſi & amittit paucum, quem antea habuit, carnis & muſculorum decorem & macilento fit macilentior, ſine tamen ulla ægritudine & dejectione virium, ſed potius cum harum augmento, & inde concepta ſpe, ſibi hac labe minimum moriendum fore. Reliquis vero usque fere ad trigeſimum diebus, licet jam die vigeſimo primo, diæta ordinaria hujus insolitæ vices rurſus expleverit, tanta indies corporis ſentiuntur incrementa, ut ſi ad imita-

 tio-

tionem *Sanctorii* te per trium ſeptimanarum ſpatium Reipublicæ penſilis civem conſtitue ris, & in ſtatera indies ingeſta & egeſta, tu que ipſius corporis acquiſitum augmentum quod pro magnitudine ſtaturæ 3. 4. 5. vel etiam libras pendens quotidie deprehendi calculo ſubducto exploraveris, mirandam in venies tuarum proportionum mathematic rum alogiam, cum vel unius urinæ excreme tum ponderatum jam omnia per os ingeſta lo ge ſuperet, & tranſpiratio inſenſibilis hic om no nil alimenti ſubduxerit, ſed potius inſpir tio inſenſibiliter tantum alimenti indies a vexerit, quantum alias ex optimis cibis in ſ nitatis optimo ſtatu ingeſtis & digeſtis, menſe integro vix emergit. Qui ita hoc ſt dium pinguefactionis emenſi ſunt, poſtm dum optime ſe habent in eodem ſtatu carn ſitatis, licet vel partem ſaltem dimidiam a tea conſuetorum ciborum & potus ingeran perſeverant, famem & ſitim admodum mo cam ſentiunt, viribus corporis auctis ad omn labores ſubeundos gaudent, a frigore æque calore nimio aëris minime afficiuntur ob val conſtrictos cutis poros, & in ſolo hoc aliqu inſoliti experiuntur, quod potulenta inebria tia citius ac ante, caput eorum feriant & cr pulam inducant.

Hactenus omnia bene & ex voto: ſolus t men Medicus, hic illud, *ne quid nimis*, negl gens & experimentis ſuis jam ſatis probatis m

miu

mium fidens, vel confidentius potius illorum modulum tranſiliens, ſuæ audaciæ pœnam luit, at eo ipſo experimenta in aliis intra modulum facta ſtabilivit & extantiora reddidit. Erat is ipſemet admodum macilentus & collapſa facie pallida adſpectui ingratus, cœtera tamen ſatis valens & alacris. Qui per eum in carnoſum & floridum corporis ſtatum promoti erant, videbant ſuum Medicum, quod ſibi ipſi ſua ope deeſſet, & partim etiam ſuſpicabantur, ſubeſſe forte adhuc aliquid mali impoſterum ſibi timendum, quod cautus ex experientia Medicus non niſi invitus deguſtare vellet. Uno ergo ore provocant, quaſi ſuum Medicum, ut iisdem bonis & fortuna ſecum gaudere non amplius detrectare velit, & ſibi etiam in eo eſſe Medicus, in quo aliorum votis tam feliciter reſpondit. Harum ſubinde repetitarum exprobrationum impatiens ſe ipſum tandem curæ accingit Medicus, & elapſo aliis præſcripto tempore adeo pinguis erat, ut omnes reliquos ſuo accremento ſuperaret, ſibi tamen propoſuerat, unam adhuc in hauriendo potu & cibo medicamentoſo tribus elapſis addere Septimanam, & in ſe ipſo experiri, quousque hæc inedia pinguefaciens produci & ſine ſanitatis periculo perferri queat; quod propoſitum ei omnes reliqui impenſe diſſuadebant, cum viderent jamjam illum, ſe omnes infarctu venarum & totius corporis longe ſuperare: aſt ſurdo narrabatur fabula, ajebat, ſe corpus ſuum eo

provehere velle, ut non tantum omnes aëris injurias non amplius ſentiat, ſed etiam per longum temporis tractum nullo cibo vel potu, ceſſante etiam medicamento ipſo, amplius indigeat.

Sed eventu triſti ſpes concepta Medicum eludebat: nam cum elapſo in medicina capienda menſe integro, ab omni tamen alimonia ceſſaret, nec ulla etiam ſiti vel fame amplius urgeretur, non ceſſabat tamen corporis conſultum hactenus incrementum, ſed indies potius augebatur. Angebatur Medicus noſter primo reſpirandi difficultate, quam crebris venæ ſectionibus tollere, ſed fruſtra allaborabat: conjiciebat ſe in equum, fortiter equitando & curribus etiam per plateas celeriter actis corpus ſuum concutiendo, forte aliquid levaminis in vanum tamen exſpectans. Dicebat ergo amicis, qui eventus ſpectandi cupidi nunquam fere eum deſerebant, mihi certo certius moriendum eſt: nimia mea curioſitas explorandi meas & medicamenti vires me peſſundedit. His ita & quidem erecta & hilari fronte dictis, animam ſuam, ut in hoc ſtatu moris eſt, tandem commendabat Deo, & ſe ſuper lectum projiciens elapſis paucis horis non tam exſpirabat, quam attrahere & inſpirare aërem ceſſabat; poſt mortem per integrum fere octiduum, antequam terræ mandaretur, nil omnino alteratus & collapſus facie adhuc rubicunda & florente conſpicuus, ut omnes adſtantes hæſitarent, an ſepulturæ

ſit:

ſit mandandus, an vero ulterius reditura forte vita præſtolanda ſit. Vicit tamen tandem eorum opinio, qui ex ceſſante tamdiu reſpiratione & palbabili per totum corpus rigore & frigore re vera mortuum ex abuſu ſui medicaminis Medicum declarabant, & avidi, ut ipſe defunctus, dum adhuc viveret, non tantum permiſerat, ſed etiam juſſerat, ad anatomen cadaveris deproperabant. Inveniebantur hic omnia viſcera, vaſa & humores ſana & integra, ſola nimia pinguedine omnia alias huic abundanti pabulo dicata, vaſorum, muſculorum & fibrarum horum interſtitia adeo diſtenta & repleta erant, ut non poſſent non humorum circulum impedire, vaſa nimium coarctare & cum muſculis abdominis pulmones ipſos in Thorace, in quo & cor, imo ipſum diaphragma & Mediaſtinum pinguedine tecta fere latebat, ab officio ſuſpendere.

Mortuus erat hinc noſter Medicus morbo, ſi ita vocare licet, nimium vitæ & ſanitatis conſervandæ pabulum: Anglis alias ſatis familiari, quem illi ſua lingua *Surffet*, id eſt, nimiam pinguedinem nominant, & qui nulli, niſi per omnia viſcera ſano contingit. Qui vero nimia voracitate & abuſu ciborum lautorum & in parva mole multum nutrimenti continentium, ſe ipſum tandem ſtrangulat & ſuffocat, & licet indies tam funeſta voracitatis producta videat, adeo tamen perverſa conſuetudine gulæ libidinoſæ detinetur & vin-

citur, ut herbis quaſi Sardoniis paſtus & ſa
tur, ridendo moriatur.

Evictam, ut liquet, hac hiſtoria theſin no
ſtræ diſſertationis, ſiſtimus, quod nempe to
tum accretionis & nutritionis negotium, qu
ad cauſam materialem, dependeat a ſpiritibu
ita dictis, ſive materia adeo ſublimata & a fæ
culentia ſeparata, ut ipſum viſum noſtrum
niſi in corpore animali lymphæ ſimul tenu
immixta per nervos deveheretur, fugeret
Et ſi rem penitus ſpectemus, Anima ſeu prin
cipium vitale, per impoſſibile aliam hic ma
teriam adhibere poteſt, niſi talem, quæ omne
jam factas partes intime penetrare queat. Con
ſtat enim, augmentum noſtri corporis no
fieri per appoſitionem novæ materiæ in ſuper
ficiebus jam factarum partium, ſed per omnem
partis jam factæ dimenſionem & quidem or
diente anima telam ſuam a centro ad circum
ferentiam.

Errant ergo & crude nimis philoſophantu
ſi non delirant, qui docent, partes ſolidas cor
poris vivi ex mage terreſtribus alimenti par
tibus augeri & nutriri, quod delirium Ari
ſtotelis & modernorum quorundam jam ſuo
tempore Arabs *Avicenna* tam ratiociniis, quam
experimentis Chymicis exploſit & docuit
plus materiæ ſubtilis & ſpirituoſæ in oſſibu
& carnibus animalium coarctatæ ex iis deſtil
lando rurſus elici poſſe, quam ſub eodem pon
dere ex omnibus reliquis partibus tam conti

nen

nentibus, quam contentis, quod & noſtro tempore inſtrumentum Papinianum, quo tota ſubſtantia oſſium in pultem admodum nutrientem convertitur, ſatis evincit, imo etiam quotidianus gelatinarum ex C. C. coquendo elicitarum uſus quibus viribus exhauſtos & ipſi hodierni ſpirituum animalium deſtructores, nutrire & refocillare conſultum judicant, ut & ſaturatis carnium juſculis, licet in Theoria ſua admodum inſipida judicent, has gelatinas, qua tales, conjugi ſuæ, quam fingunt, lymphæ nutritiæ gelatinoſæ & ita augere vitæ pabulum, cum potius conficiendis ſpiritibus animalibus, ſeu liquido nerveo aptam ſuppeditent materiam, ex quibus ipſis ſpiritibus coagmentata oſſa fuerunt & antea augmentum partium ſuarum homogenearum & ſoliſſimarum nacta ſunt.

Sed cum non tam erroneas hypotheſes convellere, quam bono publico ſtudere in animo reſideat, optamus, ut experimentum jam cum publico communicatum, variis in locis ulterius excolatur, & variata etiam aliquatenus methodo, ſub certas tandem regulas revocetur. Nam cum primus ut ſe haberi volebat, Auctor nimium cito experimentorum ulteriorum filum rumpere, iniquo fato coactus eſſet, reliquis vero Medicis Amſtelodamenſibus arcanum hoc vel innotuiſſet vel nimis periculoſum viſum fuiſſet, ut in uſum traherent, cum ipſi Auctori tam male ceſſerit: Democritus

critus vero, uti notum, non tam ex Medi-cina & praxi clinica, quam & altioribus in Theologia occupationibus in ſuo Semi Secli circulo fere dependens, Medicinam, Phyſi-cam & Chymiam non niſi in tranſitu tractans & ita, forte novis in hac re experimentis tem-pus & operam impendere neutiquam ſui fuiſ-ſe negotii duxerit, neque mihi, in hoc homun-ciones farciendi negotio aut in me ipſo aut in proximo expediendo Bronckii cum ipſo pallo-re fatali quaſi ſuffuſa, ſi non omnino defuncta veſtigia inſiſtere & perſequi, hactenus procli-ve admodum aut dignum viſum fuerit, cum ubique viliſſima ars ſaginandi homines ſatis bene vigeat, & indies incrementa capiat, to-tum hoc indagatu digniſſimum negotium in ſuis initiis adhuc hæret, & ulteriores deſide-rat naturæ perveſtigandæ ſtudioſos, qui hic experimenta & ſymbolas ſuas conferant & ex-ploratis variarum Perſonarum, locorum & ca-ſuum Phænomenis totam rem extra pericu-lum ſiſtant, & in praxi expeditam magis red-dant. Utilitatem enim inſignem & toti ter-rarum orbi proficuam inde reſultare poſſe in variis neceſſitatis caſibus & anguſtiis, nemini non patet: ingruente nimirum annonæ cari-tate, in itineribus per loca deſerta, in longiſſ. navigationibus & ſimilibus, ubi deficiente victu & potu ordinario paucis omnino ſumpti-bus cibus & potus hic magneticus comparari, nec pondere moleſtus deportari poteſt, quo

me-

mediante ex aura nemini non patula ſufficiens, imo abundans vitæ cibus attrahi & in ſubſtantiam corporis vivi converti poteſt.

Obſtetrices in hoc negotio manus ante omnes porrigere poſſunt celeberrimi Auctores commercii literarii Norimbergici in incrementum rei Medicæ & Phyſicæ inſtituti, qui eruditione æque liberi a præjudiciis ſectariis animi probitate ſeſe jamdum toti Europæ conſpicuos & acceptos reddiderunt. Hi, hac occaſione, qua par eſt obſervantia, rogantur, ut non tantum iſtud experimentum ulterius indagandum & excolendum ſuis chartis inſerant, ſed & exploraturos ſequentium adhuc momentorum commonefaciant

1. An non in decurſu dierum, quo corpus tam inſignia incrementa capit, intermitti vel ſiſti queat medicaminis uſus, & exſpectari, ſeu experimentum capi, quouſque ſine omni potu & cibo incrementum tale perduret, præprimis nulla amplius ſtimulante ſiti & fame.

2. An in locis non adeo populoſis, ruralibus & ſolitariis tam proſpere ſuccedat experimentum, quam in urbibus frequentibus & populoſis, in quarum atmoſphæra ſuſpicio eſſe poteſt, plus latere nutrimenti ex corporibus vivis per transſpirationem emiſſi, quam in deſertis & ruralibus.

3. An non etiam pellendis, excepta phthiſi pulmonaria, morbis chronicis & pervicacibus id genus medicaminis proſit, quod vix

non

non poteſt non ſperari: nam, cum prima ſeptimana omnes fere humores, qui adſunt, depaſcat, ſuccedentibus vero diebus noviis omnino ex aura petitis vaſa impleat & ſimul tonum viſcerum & vaſorum continentium admodum corroboret, ſine dubio & in profligandis morbis chronicis ſuam exſeret efficaciam.

4. Ut tentamen etiam faciant in ætate puerili & adoleſcentiæ, in qua ſimul oſſa & omnes reliquæ corporis partes, per omnes ſuas dimenſiones adhuc ſua capiunt incrementa, & explorent, quouſque & harum durarum & continentium partium incrementum provehi poſſit; ſine dubio in hac ætate tam præceps ſuffocatio ex nimia collecta pinguedine metuenda non veniet, & forte ita artificio noſtro orbis rurſus implebitur gigantibus. Hem! quam læta orbis beatificandi auguria?

TANTUM!

# COROLLARIA.

I.

*Ad bene conſtitutam machinæ animalis diſpoſitionem ducimus neceſſarium* τȣ Alkali & Acidi *temperamentum, quod utriuſque negat exceſſum ſive defectum.*

III.

II.

Alkali *pronunciamus naturæ balſamum, bilem;* Acidum *vero pancreaticum ſuccum appellamus.*

III.

*Horum in pondere, modo & qualitate ſibi bene coordinatorum coalitionem adæquatam, ſanitatem corporis noſtri organici ſuſtinere, edicimus.*

IV.

*Pro exemplo ponamus febres ſine diſcrimine intermittentes, in quibus* acidum & alkali *una regnare cenſemus, illud ſcilicet præcedere, unde frigus; hoc utpote naturæ balſamum oleoſum inſequens incendium quaſi, ſive ardorem cauſare.*

V.

*De ratione & cauſa horum vi & copioſe erumpentium ſuccorum vitalium inferius ventriculi orificium a putridis atque corrodentibus humoribus affectum & tumidum teſtatur, quo mediante illorum exitus (qui utplurimum unus) adeo contrahitur, ut uterque unus poſt alterum ſuccus ob vaſorum impletionem non niſi cum violentia prorumpat & impetuoſe in duodenum effluere poſſit.*

VI.

VI.

*Fit illud temporibus ſtatutis, aliquando li-ris, pro ratione temperamenti anima-& inde dependentis digeſtionis, ut & com-plementi vaſorum ſive ductus.*

VII.

*Equidem præter tumorem febres in homi-nihil nocui inveniunt, ſed diu durant-ex copioſa confuſione* acidi & alkali *i-tius officinæ animalis ordinem corru-punt, & inſuper uno aut altero horu-ſuccorum ſuppreſſo, oritur cachexia, hec-ca, lienteria, hydrops &c.*

VIII.

*Omnes morbi tartarei, quos coagulativ-vocamus, nobis ex exuberante ſive a-perdito* acido *oriuntur; Morbi ve-acuti, quos reſolutivos dicimus, ab* alk-*prædominante.*

IX.

*Statuimus etiam, morbos, qui tam a raref-cientibus, quam obſtruentibus cauſis in-mul derivari queunt, quod ex temper-mento & conditione patientis non difficu-ter noteſcit.*

TOPIA

# TOPIARIUM
# HERMETICO-
# CHEMICUM
*RECLUSUM,*

QUOIN
RACONE PERVIGILI SOMNO
ALTIORE SURREPTO

*TRIA ABSQUE HERCULE SUBLUNARIA REGNA*

## ANIMALE, VEGETABILE,
## MINERALE,

NIMOSUM QUEMLIBET AGGREDI
ANIMOSE, LICET, SIQUE NON DU-
CAT LABORIS

## HESPERIDUM,

*LCINOI TAMEN MALA, TANTALIQUE*
*NOVAM ET RARAM CUILIBET SECRE-*
*TIORIS SOPHIÆ ALUMNO DEME-*
*TENDAM CERNET SEGETEM*

EXPENSAM

à


## JOH. HUMMELIO,

DELBERGA PALATINO, THEOLOGO, MEDICO,
CHEMICO-PHYSICO.

# AUCTOR

## LECTORI BENEVOLO, CURIOSO ATQUE PIO SALUTEM PRECATUR INGENUAM.

NOva cuncta Rara, dum pernoteſcunt, pedetentim ſeneſcunt, tandem vileſcunt: expoſita ſæpiſſime venalia conſpiciuntur & Procerum & Plebis ſtupori, utplurimum quæſtus lucrive objecta; Author, Inventor, aut Novi Rari Venditor, alteruter, quis quis etiam fuerit, ſæpe ad utrumque imaginatur atque ſuperbit, aut faſtu ambitioſo honorum atque gloriæ, laudum nec non excellentiæ æſtu, aut Euclionis ſordibus inquinatus & Midæ auri ſacra fame infecto genio vexatus incedit, decantat & ſuas merces offert venum, & quos longiores admirationis percipit præſtrictis fixisque oculis arrigere aures, hos ingenii illuſtris & Sapientiæ ſum-

*Cuncta non cunctis, quæ ſub cœlo, venalia.*

ſummæ cuncta & ſua Rara proliciem
tis Filios largos & juſtos vanorum hu
jus ævi bonorum contemtores depræ
dicat.

Heus! neque ipſus ego fabula
enarraturus, aut communia, aut ant
qua, aut gravitati debitæ oppoſita ex
gitaturus, ſed & hercle Novis Novi
ra & Rariora Raris gratis omnino v
num expoſiturus, cuique & omnibu
quiqui etiam forte ſint exquiſitiſſim
hujus orbis ſcientiis imbuti & ſatiat
ad inediam acclamaturus cum aſſu
rexero? an quid portenti, aut tibi m
raculo videbitur, ſi & ipſus ego huju
aut alterius vel etiam Mercatoris
triusque qualitate togatus arguam
quo ceu fato contentus maxime
mihi ipſi effatus ſententiam ſubſiſt
quin & carminantibus ſociis imp
gnatus neutiquam pudore ſuffunda
magis & præpoſtere, ſi quis ſe ſch
dulis intelligentiæ ( quo cognomin
Pruſſia rara novaque ſua mundo v
nalia offert) vel Iracundiæ, vel Vi
dictæ, vel Invidiæ vel harum F
riarum Filiæ cujusdam gratia conſ
cratum & ignominioſæ plebis unive
ſæ proſtitutioni immolatum conſpic
ret; Equidem & hoc animum gen
roſu

roſum afficere? nemo facile, tentanti vero ipſi ob echo aut reſonantem ex rupe adverſa & offenſa ſonum ſæpe acturam imminere, magis faciliusque credat; Etenim illis intelligentiæ iterulis vel in boni publici cauſam & emolumentum, vel in quem finem deſignata, communia, non autem paria hiſce, quæ Nova utique & Rara, nec non *inaugurali noſtræ* & de novo, ut jam diu ſum rogatus, Typographo committendæ *Diſſertationi* adjici digna cenſeo; Novi, inferes, ſub ſole nihil, niſi quod res a primordio exiſtens temporis tractu & obſtetricia ope, alia atque alia hinc inde ſub forma ſive figura Soli ſcandat Theatrum, Scenarumque incolis ſpectatoribus utplurimis nefandum, mirum & quod natura latet, Rarum & Novum audiat! nec hoc ſuſpenſum duco.

Interim non indignare, Benevole Lector! ſi forſitan foro Medicinæ canonico ſive ſectario vix aut ne vix quidem mea hæcce, quæ proferam, mercabilia judicabuntur, non enim Recepta, neque Medicinam quandam morbo cuidam ſpecificam novam, minus multo Alchymici vel magis Lapidis Hermetici univerſalem deſcribendi ſtolida eſt intentio; Ecquid! an ego faciam

*Adeptu-rientium ſtatus & æquitas.*

ciam perdamque verba in gratiam au
emolumentum illorum, qui diu no
ctuque anxie ſomniant de Alchymi
centro concentratiſſimo & arcan
arcaniſſimo admiratione ipſis maxim
non obſtante ignorantia adorando
inexplicabili, inenarrabili, vetuſtiſ
ſimo, admodum venerabili, ab Æ
gyptiorum Magis ad noſtra usqu
tempora devoluto, Germaniæque u
& Weſtphaliæ noſtræ fines miriſſima
per ambages translato, Myſteriorum
cuivis laboranti occluſo Myſterio Na
turæ cunctas & ineffabiles terrarum
opes atque divitias, ſanitatem inge
nuam vitamquelongam ſerio ſuis quo
e complexu tenet, adnuente? neuti
quam! ſed & quis quæſo! heic fam
chryſopæiæ hiante vexatus, Tantalea
que aridus ſiti opulentiſſimas, vinum
generoſiſſimum, Nectar ambroſium
ut & Ambroſiam ipſam, cœterasqu
exquiſitiſſimas omnis generis cupedia
rum exhibentes epulas renuet? Se
heus! vulgari nimium chemico con
fiſus vento, vela contraham, ne inju
rius evadam myriadibus & quidem
maximam partem chemiſtis adeptu
rientibus auri torrida fame & inextin
guibili opulentiarum ævi hujus ſit
miſere jam jam partim defunctis, par
tim

cim agonizantibus letho, quorum plurimorum turpiſſimo ſordidiſſimoque fato univerſum Chemicolarum orbem apere omnino competeret, ſi modo non quilibet in ſpecie ſibi Argo oculatior viſus confiſusque magnum ita dictum plurimis autem fictum Philoſophorum adipiſcendi lapidem cupidine irretitus periculum facere, jure jurando quaſi ſecum decreviſſet; quod hercle inter morbos omnem medelam recuſantes cenſendum delirium febri lentæ & animæ & corpori & crumenæ tabetudinem atque exitium inferenti morem gerit; morbus ob ægrotantium proterviam irremediabilis; quaſi vero à ſeculis hucusque omnes fato defuncti Adepturientes poſteris per teſtamentum ſemper ipſis authenticum, ut nempe ad obitum quisque ſuum usque agerent Anteceſſoribus conformiter, ſub pœna rudiori amandaſſent; cujus tenor incognitus haud dubio reſonat ſequens: ut omnes & ſinguli, quotquot adepturientes nati, animas prius ſuas edant atque radicitus ſolvantur ipſi, antequam illum, quem anxie ſitirent, adipiſcerentur lapidem; ne ullus ipſorum ſuperſtes commiſſi in lapidem Philoſophorum criminis, nempe arcana utcunque indignis

dignis effutiiſſe, reus exiſteret; qu lex inviolata hucusque ſervata argumentum notabile, quaſi vero ad Heli Artiſtæ adventum usque ita futurum adeoque omnis huic morbo medend medicina vana & nulla præter eum dem illum, quem diu noctuque ipſi ar dentiſſime quæſitant, lapidem medicinam univerſalem, adinſuper & illo & hos illud Zaffii torquet.

Chymicus arte ſua claudit medica men in uno
Centro, a quo morbum tota ca terva fugit,
Quid juvat innumeras Medicorum audire catervas,
Unica cum morbis ſit medicin ſatis.
Hanc ubi decumbens corpus per ſenſerit intus,
Viribus aſſumtis fit redivivu homo.

*Cornu copiæ medicum.* Ergo hoc potiſſimo me latente, deſcribendis vilioris pretii medicamentis calamum injuria nulla abſtraham, & ad quid? quæſo, cum medicis innumera & recepta & medicamina & curas egregias exhibentibus ſcriptis mox ad obfuſcationem usque

totus

totus orbis & pleraque vix ſcateat domus atque taberna, quibus cunctis & ſingulis neque morbis homuncionum parum atrocibus magis conſultum videtur, quod non, ut olim & priſcis homines variis utique adhuc & incurabilibus exclamatis, utplurimum quoque flocci aliquando a Doctorum Choro æſtumatis nævis indies exſtinguantur, contra quem & ipſum Medicorum morbum & infirmitatem neque librorum & diſſertationum medicarum acervus, neque tota Doctorum, ſi etiam ægrotantium & patientium ſuorum vices ſuſciperet cohors, panaceam aut medelam, aut etiam mediocres utcunque ſuppetias ferre poterit, quanquam ſi & conſilii defectus & inopiæ auxilii ipſis injungeretur reddenda ratio, quivis machaoniæ artis Tribularium propriæ experientiæ ſcuto teloque confiſus theſi ſuæ defendendæ verba plurima facile perdet.

Quis heic mortalium Judex omni ſua juris utriusque prudentia & dexteritate cuique pro genio ſingulari ſententiam ferendo hanc & continuam inter illosmet ipſos verſantem litem componet atque diſcordiam? nullus!

ſi & Judex ipſe podagra aut alio vexa
tus morbo ſub plurium & celeberri
morum Medicorum inſpectione, præ
ſcriptione; cura atque tutela ſatis com
cederet, quid? hercle vel auram im
hians poſtremam, vel e præfeſtinanti
lethi regionibus de Æſculapio & ab e
jusdem progenie perpeſſa, Judici vald
ignominioſa illuſione querulus in Per
ennitatis foro cauſam, ſi poterit, potiu
movebit, quam cuique ſuum, quo
prætendit, pronunciare ſuffragium; &
quid amplius? ſi Judex potenti Ma
nium ſuccurſu obtineret: plurimam
eorum partem, qui domiciliis ſuis ha
in terra ægre relictis petiere ſidera
fide Medicorum fallaci fato ceder
coactam atque defunctam. Et qui
tunc Galeni ſuſcipere vices conabitur
an Aſclepiades cum Chirone, Podali
rio & cæteris Sphæræ Machaoniæ Præ-
ſidentibus Diis à ſe ſuaque progenie
amolietur diſcrimen? illicoque medi-
cæ virtutis & efficaciæ ſuſtinebit in-
ſignia? ne claudicando prætimeo, ſi &
omnium in hoc mundo unquam à pri-
mordio usque huc typis editorum
ſcriptorum medicorum Eſſentia Quin-
ta pro ſtabiliendo ſuo jure contra in-
numeros ad judicium accerſientes Ma-
nes armatus accederet

The-

Theca ergo medica raritatibus ſuisque novis omnibus atque monumentis ubertim referta, Ego Orbi docto alia longe & Arcæ non communi, ſed extraordinariæ ſacrata Nova Rara & Vera, ſi autem mavis, Noviſſima Rariſſima, Veriſſima exponam; Ne quis idcirco me omni forte & omnium doctrinarum & ſcientiarum & opificiorum & commerciorum Orbi mea pronunciaturum Nova & Rara exiſtumet, obſecro! non enim & ipſis tribus præcipuis & Orbi univerſo Præfectis tribularibus Muſarum Facultatibus. THEOLOGIS inprimis Ducatus hujus montenſis, quamvis me odiſſent & ob unici Theologiæ fulcri, veritatis profeſſionem palam factam rejeciſſent, ut eos fraterne, amice & ſincere a veteri ſuo, cui eſſent imbuti, fermento inquinamentoque abarcerem, Nova certe non inſulſa, Rara admodum ipſis & Veriſſima ſequentibus libellis 1. *Aurora mea* ſive facti ſpecie *illuſtrata.* 2. *Lucis primigeniæ virtute altera*, german. Tages-Licht. 3. *Orthodoxia Chriſtiana*, proh! non ſapiunt, dixi, docui, & ad obmuteſcentiam ipſorum clariſſime feci intelligere. DE MEDICINÆ præſtantia atque fulgore ego Medicus

ipſe

ipſe & cæteris haud impar aut diſſimi-le tribuarium membrum nil, niſi quo æquum & juſtum eſt, dicier, direct volo. JURIS UTRIUSQUE CON-SULTOS proprio genio & vulgo no-tiſſimo characteri ſuo ſub reſpectu de-bito placidoque relinquo.

*Philoſophia omnium Scientiarum Magiſtra.*

Supereſt Philoſophia, prædictarum artium liberalium & omnium, quæ qua ſunt, Doctrinarum, facultatum & me-chanicorum Magiſtra! nulla autem absque vera Triunius Dei cognition Philoſophia, & quæ à parte altera Na-turæ palam factæ cognitione accura-tiſſima deſtituta, nulla & omnino nul-la eſt, nomine maxime indigna! utiqu intima trium Regnorum, Minerali Vegetabilis & utcunque Animalis in-ſpicere penetralia & inſpexiſſe, oporte Philoſophum, exque iis didiciſſe uti-que & Sacro-Sanctum Ternarii My-ſterium, omniumque rerum viſibilium originem, incrementum & decremen-tum, quid primitus fuerint? quid ſin in præſenti? quo modo ex inviſibili-bus viſibilia & quodvis tale, quale eſt, & non aliud factum, cum tamen ma-teria prima tantum ſupponatur unica & omni formæ accommoda? quidque cuncta in futurum, qua cauſa & ſcopo

ex-

externa ſua rurſus exuantur forma atque figura & miras & varias patiantur viciſſitudines? in quid reſolvantur? quomodo alterentur & reviviſcant? quodque tandem gradus ſuos transeuntia in τὸ perenne ſive perfectum eſſe ſuum ad ſempiternam Sacro-Sanctæ Triados laudem atque gloriam migrent. Introitum autem in hanc cognitionem ſcias, obice & ſera non tralatitiis occluſum & abſtruſum omnibus, qui præter preces ex puro Dei in Chriſto amore flagranti pectore indeſinenter fuſas, janitricis clavim & unum poſt alterum Regnum peragrandi occaſionem præbentis, nec non ſolis diu noctuque indefeſſe laborantibus conferentis manuductione & auxilio carent; Eſt vero Janitrix & Adminiſtra illa, Celebris ALCHYMIA, Ars Hermetica dicta, cujus juſſu & permiſſione quædam, quæ in ejus ſchola didici arcana & experimenta eliminandi occaſionem captans præſenti calamo ſtudioſorum Chemiſtarum gratia ſimul & ſemel nunc effutiendi licentiam nactus, nunquam pœnitebit, auſculta!

Verum enim vero, ſi celebre & illuſtre ad quatuor mundi aſpectabilis plagas extenſum Alchymiæ ſpectamus Thea-

*Zoile arrige aures! Eadem ta-*

*men ſibi ſemper conſtat Ars hermetica.*

Theatrum variis ex variæ gentis & indolis farragine collectis doctis indoctisque & rudioribus, utplurimum infimæ plebeculæ myrmeciis penitus contaminatum deformatumque, quorum quilibet inſpirante & urgente auri ſolum & argenti fame eſurientis Lupi adinſtar ſub pietatis tamen hypocritica larva & hinc ex merito & condigno quaſi brabeum ad obitum ſuum usque anxie ſperat, exſpectatque, donec triſtiſſimo ſæpe exitu reque anguſta facta domi ſe ſpei evanidæ & mundi ſanioris ludibrio expoſitum luſtrans ſero nimis ſapit; ſi porro cuncta, quæ Chemiæ montes ſcopuloſi hiſce Adoratoribus ſuis injucundis a ſeculis hucusque cuique pro ſuo ſibi ſoli ſapienti genio & arbitrio formata generarint monſtra atque prodigia, mirum ſane nullum, quod mundus reliquus inſaniat, & in omnem & in veram de Sapientia orbi extero recondita teſtantem & informantem miſere debacchetur & exquiſitiſſimis proprii tamen ſui nervi convitiis conſpergat artem hermeticam; Heic tamen inſanæ indolis res eſt, nam Chymiam Magiſtram Spagyrosque contemnere, alta voce dicit: ſe ipſum Sycophantam & veritatis incognitæ

con-

convitiatorem deteſtabilem orbi docto & ſapienti exponere, deque ipſiſſima ſua & craſſiſſima ignorantia atque ſtupiditate obſcuriſſima indubitatum maxime & exactiſſimum coram publico edere teſtimonium; Medicamentarius enim & ipſe pharmacopæum ſuum pro debito & merito inſtruere nunquam poterit, niſi conſultarit ſpagyricam artem, chemiam ſuam Informatricem atque Magiſtram, non, quod ex Antimonio, Mercurio, Marte, Venere, Saturno, Jove &c. varias & intus propinandas & extus adhibendas faciat medicinas, ſed etiam quotannis e vegetabili Regno, ut decet, novas ſemper divexando herbas, ſicque non ſolum in his, ſed & in Animali Regno, quamvis ipſe ignoret, ſal fundat, Alchymia ſalis fuſionem nobis dictitante, quo deficiente & Medicina deficiet ipſa; unamquamque autem ſine diſcrimine herbam ſuo conſtare ſale occulto arte chemica ſolum manifeſtando, nemo niſi rudis Minervæ proles ibit inficias; meam & de eodem hoc teſtantem in Alchymia adeptam experientiam ex parte absque remora ulteriore dicam, audi!

Initium rei chemicæ meæ expediit Solinga, Ducatus Montenſis urbs ſi-

ve

ve oppidum valde populoſum, & ob officinas fabricasque ferrarias per totum orbem famigeratiſſimum, quo in ſex integros annos Evangelii Jeſu Chriſti Præconem & Eccleſiæ reformatæ Miniſtrum egi, remotus tandem ob publicam hanc Veritatis profeſſionem, quod nempe populo immorigero cœnam Domini ſine diſtinctione aut nullo inter reprobos bonosque facto diſcrimine pro impiiſſimo illicoque inveterato inque conſuetudinem injuſtiſſimam adacto more diſtribuere detrectarem, eo fini, ne ſuum infideles magis magisque augerent animæ damnum atque perniciem, graviusque ſibi accerſerent Dei Vindicis malorum juſtiſſimi judicium & damnationem; ex ſola hac allata cauſa, quod non promiſcue omnibus & ſingulis vinum & panem diſpertire, eoque ſacræ ſynaxeos inſtitutioni, ſacris literis, Paulique Divi monitui & inſtructioni, canoni ſuper hac re Eccleſiaſtico & præcipue Quæſtioni catecheſeos Heidelbergenſis 82. adverſum (ſecus ac prô dolor & dedecus! per omnes Ducatus hujus Eccleſias reformatas Paſtores ſive verbi Miniſtri iniquiſſime utplurimum absque ſcrupulo, ad hunc usque diem cunctis & peſſimæ notæ membris porrigen-

rigentes) agere abſolute nollem, exilium potius ad conſervandum coram Deo & Domino meo Jeſu Chriſto hac in cauſa conſcientiam illibatam ambabus ſeligerem; *Synedrium montanum* ſuper hac ſontica re convocatum in concilium, ut, quid faciundum deliberaret, bene perſpecto: ſuum nefas atque improbum maxime neque in juſto Soli, multo minus Poli foro excuſabile & atrociſſimam iniquitatem redolens procedere & proterve in Eccleſiam illatum, ab ipſis cœtuum Paſtoribus indies adhuc pedatum membrisque Eccleſiarum peſte morteque deteſtabilius pernicioſiusque ſcandalum a me nunc palam factum, & coram omnium oculis detectum, eorumque examinationi judicioque conſcientiæ prono objectum, *concludebat* ſibi ſecurius, ut pereat unus, quam tota ſynodus montana ſuper incuria & indole ſua perverſa coram toto orbe confundatur pudore, ſuum itaque caſum fatalem atque jacturam & abhinc dependentem totius corporis Eccleſiaſtici converſionem, ut ulula lucem, abhorrens, metuens, declinans, me anno MDCCXXVIII. XXIV. Sept. a Cathedra omnibusque officiis Eccleſiaſtici, usque ad hunc diem decreto

creto ſuſpenderunt; officium vero, NB. quod mihi a Deo factum, mihi abrogare nequiverunt, veritas a me oretenus ſcriptisque palam profeſſa, bonaque & integra mea cauſa, vitæque nota ingenua interpediit, vetuit; prouti Deum & torturis & Tortoribus ſuum cuique poſuiſſe terminum, patet & ex eo, quod *Jobo* dicit: hucusque venies & ne procedito *Cap. XXVIII.* & quod magis eſt: homunciones putatitii ſui utilis gratia aliquando malum & peſſimum contra nos comminiſcuntur, idem autem ipſum Deus certe meditatur in bonum noſtrum & ſummam convertere felicitatem atque ſalutem *Gen. L.* cui ſoli bono Deo Terque Optimo Maximo ſuper omni, quod contigit & immenſa ſua, quæ me meosque hucusque ductavit & conſervavit, adhuc conſervatrice atque ductrice gratia immerita ſit Laus, honor & gloria in ſempiterna Seculorum Secula.

*Lapis Philoſophor. me ſponte offendere ſuſcipit.* Cum ergo anno MDCCXXIX. ineunte Vere faciundæ medicinæ Solingæ darem operam & de Alchymia parum aut nihil ſcirem; En! Literæ Francofurti ad Mœnum ab Authore mihi incognito deſcriptæ mihi inopinato fiunt

fiunt, adjuncto libellulo, cujus inſcriptio audiebat: Aufrichtiges Chymiſches Glaubens-Bekanntnuß ꝛc. darinnen der Stein der Weiſen deutlich vor die Augen geſtellet, aus eigener Erfahrung mitgetheilet von Benedict Gutwaſſer 1728. In illa epiſtola Adepturiens ſuam oſtentans experientiam & in Alchymia progreſſus, gloriatur de Lapide Philoſophorum propemodum ab ipſo perfecto; ſe, pergit, de me & perpeſſa mea perſecutione ab Eccleſiæ Reformatæ hujus tractus Miniſtrorum Tyrannide multaque & varia rumore ſparſa percepiſſe, me, continuat, Artis omnium perfectiſſimæ atque Scientiarum cunctarum Reginæ Alchymiæ futurum Filium adoptivum & Sophorum lapide quam maxime dignum, ſeque eo fini omnem ſuam operam atque ſudorem mihi venditare & omnino deferre, rogans inſuper, ut ad viſendum ipſum iter facerem, quo facto, ſe totum & omne & ſolis in ſpecie Sophiæ Filiis deſtinatum Myſterium ex animi ſui ſinceritate mihi patefacturum pollicetur. An non, Lector Curioſe! me ſuper hoc nuncio inexplicabili ſuffuſum gaudio reputas? non inique! tamen mediocriter, ne in exceſſu peccarem;

ſed adverte animum: Medium me nunc ſtatim duos inter egregios cultrorum opifices Alchymiæ lauro atque Corona donatum conſpicies; nam idem iſtud exoptatum, hercle non commune, & valde proficuum nuncium me voce alta legere audiens operarius quidam Solinganus, clam & me invito Adepturiens, & certe in libris chemicis ſua dialecto conſcriptis, ut & præcipue Theophraſti Paracelſi mihi tum temporis incogniti operibus non mediocriter verſatus, è pectore ſuo palam erumpit, & ſecreta ſua effutit, ſpe inflatus: ſe procul omni dubio pro ſua mihi hinc blaterando facta benevolentia de inæſtimabili meo bono nuncio utique & viciſſim participaturum, aut aliam cauſam! cur operarius ille mihi materiam ſuam pro univerſali agnitam prompte, ſponte & liberaliſſime enunciarit? opinans firmiter: noſtrum venerandum Adeptum Gutwaſſerum ex eadem illa ſua materia ſuum, de quo ſcripſit, absque ulla controverſia conſtruxiſſe lapidem, omnium imperfectorum metallorum Tinctorem & Exaltatorem, Medicinam mundi univerſalem.

*Adepturientis* Erat autem Solingani Opificis Adepturientis Materia non communis, Hibner-

Hibnero Aporrogas dicta, coruſcatio inter Vulcani ſcintillas ſive Meteora ignea adnumerata; germanice Stern-Geſchoß, vel Stern-Schneutzen; ſed procul ab his, quæ in media Horizontis noſtri aura utplurimum oculis evaneſcunt & nunquam in forma corporali ſuper terram viſa aut reperta, quibus Dracænam adnumeramus volitantem, quæ, ubi incidit, fiſcoſam & fuſcam exhibet materiam non contemnendam; ſed & alia de cœlo deſcendit vel delabitur & inter Meteora non ultimo loco ponenda materia, quæ, cum emphaſi Neptuni proles vocari mereatur & inter Meteora lymphoſa recenſenda, Weſtphalorum dialecto Lieverſee appellata. Hanc materiam adſtruxit opifex, eſſe ſecundum omnes, quos legiſſet, Philoſophos, unicam, ſolam & veram Philoſophorum conſtruendi Lapidis materiam, ex neutro trium Regnorum, ut tunc adopinabatur, neque Minerali, neque Vegetabili, neque Animali depromptam, ſed de Cœlo deſcenſam, nunquam ſpecificam, omnino univerſalem & omnibus accommodam formis. Hercle lepido huic e proletaria gente exſurgenti ingenio, poſtquam ſophicam ſuam palam mihi feciſſet materiam & ipſemet ego de re ſalva *certi materia ſophica.*

 exiſte-

exiſterem convictus, meum gaudio magno refertus adjicere calculum non detrectavi, & cum poſt aliquot menſes noſtrum Gutwaſſerum fictitium Lapidis poſſeſſorem, & forſam ſuamet ipſa phantaſia deluſum atque deceptum, adeoque putatitium, ex materia non tantum mihi literis ſat claris pronunciata, ſed quod ultro, ſe ad ſui operis maximi conſummationem ſive perfectionem crumenæ meæ indigum confidenter enunciaverit, Adeptum deprehendiſſem cognoviſſemque falſum & prope ſophiſticum, commercio literarum impoſterum ſuperſedere placuit.

*Animale Regnum ſapit.* Otio tandem in Arce Hackhauſiana, ubi tunc exul degebam, mihi indulgente, materiæ illius Lieverſee certa anni tempeſtate de cœlo ceu Meteoron volitantis ingentem colligere conſtitui copiam, quæ, confiteor tibi, magis magisque mihi arridebat univerſalis, adinſuper, quum opifix Adepturiens ille mihi narraſſet, quales ipſe, materiam illam viſitando jamdum feciſſet progreſſus; eamque indies adhuc indubitata præſtantiæ ſuæ & univerſalitatis de ſe edere ſigna evidentiſſima; mox enim, ſe obſervaſſe, ſuſtinens, pluviam argenteam, mox Iridem, mox cæru-

cæruleum, mox & alios & varios & omnes hujus univerſi colores, mox Solem patrem, mox Lunam matrem, mox Mercurium currentem, mox aſcendentem, mox deſcendentem & cœtera inenarrabilia quæque Phantaſia dictitare potis eſt, Phænomena & Meteora ſpectaſſe; inſiſtens porro; ſoli & unicæ huic ſub Sole materiæ adinſuper quadrare præcipua Philoſophorum veram ſui Lapidis materiam deſignantia dicta, Hermetis illud Trismegiſti, *ſemper reperiri chaos philoſophicum inter mortuos, nunquam inter vivos, apparere adverſiſſimis tempeſtatibus* &c. hanc adeoque materiam de ſe ipſa ſuoque proventu & adventu ſufficienter teſtari, & *quod ſuperius, eſſe uti inferius & inferius ſicuti ſuperius* &c. quis nunc animi pendeat ultrò!

Attamen plurimos, quibus hæc fabula facta & Chemicolas impatientiæ vinculis irretitos, ſi non incredulitate omnino abreptos, quemlibet in tenore proprio vociferantem audies: Quænam, quæſo! præter noſtram, quam autem noſtruum quivis pro adnato ſibi ingenio & ſiderum influxu aliam in ſuam elegit materiam, eamque uniuſcujusque ſuam, non aliam

pro ſola vera & univerſali utique mordicus ſuſtinet atque defendit? an tu, inquient, tuum voce barbarica pronunciatum atque nobis haud intelligibile lieverſee omni mundo pro ſola, vera & univerſali obtrudendo & venditando, generalem noſtram ſtatuique noſtro Chemicolari apprime reſpondentem univerſalem maxime inter noſmet ipſos chemiſtas & Alchymiſtas ab exſtructione turris babylonicæ forſitan usque huc & ad aureum argenteumque, quod ſolum exſpectamus concorditer noſtrum hocce ſeculum, circa veram & univerſalem Lapidis materiam verſatam & pro præſenti adhuc verſantem, nulloque non tempore verſaturam diſcordiam uno ictu compones? ſcias, nodum hunc gordium Herculeumque neque Alexandri Magni enſe ſolvendum, minus te ad nos corrigendum, obtinendumque præ nobis Sophorum Lapidem, nobis ex natura, non tua materia conficiendum, natum agnoſcimus; ſed ſedate reſpondeo, ſedate! & reſpirate! ſenſibus veſtris recollectis percipietis Nova, Rara & Vera, quibus ſi veſtra conjugare poteritis, eo mihi eritis gratiores placidioresque.

Sci-

Scitote præprimis! circa nobilem domum Hackhauſianam plures exiſtere & valde divites fodinas, apellare ſic lubet, e quibus certa anni tempeſtate Mineræ hujus abundans copia colligenda diſpenſatur,nam in illo tractu quotannis hujus materiæ centena pondera plus minus legenda reſtitant; Eſt autem Materia pituoſa, unguinoſa, viſcoſa, alba, aliquando nive candidior, aliquando ſubrubro ſanguinis adinſtar colore per ſtrias ſparſa, aliquando ſpurca & penitus & ad nauſeam collutulata parebat; Tempeſtate mihi exactiſſime cognita ipſus ego cum milite famulo Metallifodinas noſtras ſæpe viſitanto tantum collegi materiæ, ut vas recipiens vitreum XL. menſuras continens repleviſſem; Altero quodam collectionum die in animalculum quadrupedale incidi, e cujus corpuſculo frigore hiulco eandem illam noſtram pro univerſali ventilatam materiam ſecundum omnes requiſitas qualitates & forma & figura absque controverſia animo mihi obſtante talem propendere deprehendebam; non tamen concidi animo, quam ſtatim perpendens, e minimo maximum, e viliſſimo precioſiſſimum, ex abjectiſſimo æſtumatiſſimum enaſci *Materiæ deſcriptio*

 poſſe;

poſſe; altera vice prodeambulando in fodinarum una & quidem præcipua, quam brevi ante caſſam luſtravi, acervum, non mentior! centum ultra numero animalculorum illorum quadrupedalium offendi, quæ una brevi ante ceu tot Meteora chaotica excuſſere nubes & huicce fodinæ cuncta hercle triulca atque emortua commendavere; Phænomeno atque Meteori huic novo & inaudito unquam, mediaque hyeme a me obſervato beneque perſpecto, ex tempore ad opificis noſtri ſocium ſive collegam, qui in vicino enſifex erat, Adepturiens inſimul, ubi ambos pace bona ſpeque majori reperi, me contuli; qui ambo absque remora & cunctatione mecum fodinam petentes, ingreſſis prodigium illud ipſis, quamvis res nova, neutiquam tamen periculoſum, ſed fauſtum maxime & melioris ominis viſum aggreſſi, cumque miſera hac & peregrina, per Saturnum ſuffocata gente animo martiali punctim cæſimque congreſſi, egregiam fecere prædam.

Apparet Meteoron hocce quotannis quatuor menſibus Novembre, Decembre, Januario & Februario, extra quod anni ſpatium raro invenitur; maxi-

maxime decidit noctu, ventis zephyro Aquiloni juncto, nimbis grandine niveque commiſtis delabitur & (ut ab Adepturiente quodam alio autopto mihi pro vero venditum atque relatum, refero, ipſemet enim eam noctu nunquam decidere vidi) igneum de ſe coruſcans ſplendorem. Non autem ubivis locorum hæc materia reperibilis eſt: Certa, quod magis mirum videtur, quotannis ſua & fixa loca tenet, amat lacus, non tamen plerosque, neque paluſtria, quæ ſæpe circumcirca permeando ad horæ tractum & amplius, nihil aut perparum inveni; lacus, dixi, amat præcipue quercubus circumductos & ab his obumbratos; Querceta ipſa, certam autem, credas, ſolum ſpeciem, ut pote quæ magis forte magnetica, ſeligens, non abhorret. Tu! me piſces inde demiſſos offendiſſe, demirare nullus, adhuc plura vidi, obſervavi, quæ nunc ſuperſedeo.

Putrita noſtra materia fœtuit peſſime, putredine autem non fœtore, peracta debito ignis regimine e maris balneo ſeparavi a ſe invicem I. *Mercurium*, aqua hercle hæc ſpecificum in odontalgia, guttula unica aut duæ Goſſipii lanæ inſtillatæ, & denti dolorifico *Medicina.*

rifico

rifico appoſitæ ex tempore dolorem ſiſtunt; porro in combuſtione tutius, citius & ſalutarius remedium non datur, mercurialis & alcali referta hæc aqua ſpatio trium horarum curat, ſanat, experto mihi in memetipſo & in aliis, credas, podagræ conducit &c. II. *Sulphur* reddit hæc materia rubicundiſſimum & oleoſum uti decet ſulphura, & inflammabile & omni liquido ſolubile. III. *Sale* utique, arte fixando gaudet, quod mirandum, videſis in ſulphure illo ſe ipſum pruna appoſita pro more ſulphurum comburente & conſumente, nec non reliquum corpus ipſum chemice examinatum ſalis copiam tibi faciet. En! Sal, Sulphur & Mercurium, ex hoc triangulo fac quatrangulum, habebis Magiſterium, fantur Alchymiſtæ; An non Rarum Phænomenon & explicitum Meteoron? Novum forte multis Chemiæ filiis, ſed & cunctis & plerisque extra Phyſices indaginem palantibus ut inauditum & imperceptibile, ſic impoſſibile, Naturæ autem inveſtigatoribus, nobis Veriſſimum perhibui.

*Vegetabilis Regni inviſio.* Evoluto hocce Animalis Regni Specifico, vel ſi mavis, inſpecifico, nec non cœteris, Horti Vegetabilis flores fructus-

fructusque guſtare atque rimari allubuit; clauſtris hujus Regni Vulcani & Neptuni ope & adjumento reſeratis, interioribusque ſecundum τὸ *Alcali* ſuum & *Acidum* enucleatis, utique tria illa, ex quibus omnia univerſi ſpectabilis corpora, corpuſcula & atomorum minima conſtant principia principiata & eſſentialia, nimirum 1. *Mercurium* ſapore acidum ſive acetum. 2. *Sulphur* oleoſum & 3. *Sal* fixum ſum aſſecutus; hæc tria equidem vulgaria chemicis modernis principia exaggero, aſt duo tantum, quæ omnium ſublunarium per omnia tria Regna formam præſtant, τὸ *Alcali* videlicet & *Acidum* (ignem & aquam) principia ſtatuo, forma dat eſſe rei, hac ſive ex alcali ſive acido deducta informi aut deperdita, res ipſa detrimentum interitumque pati neceſſum eſt, nullam etiam ſub Sole contra hoc Paracelſicum, vere phyſicum & noſtrum axioma excipientem regulam ſane mentis indole conciendam, firmiter credo, ex hoc enim trium Regnorum fulmento cujuscunque rei ſtatus dignoſcitur; proſpera organici corporis noſtri valetudo in τȣ̃ acidi atque Alcali æqua lance librati conditione fluctuat, altero illorum prædominium ludente, infirmatur

tur per conſequens & neceſſario hocce animæ inde coanguſtatæ domicilium, & non poteſt non aut ſaturnizante acido, aut alcali diſſolvente, abire in caſſum, niſi prompte medicamento ſive alcalico ſive acido, prouti præſens ſtatus exigit atque neceſſitas, remora fiat exceſſui defectuique, & neutro examen amplius inclinante, conſulatur: quoin etiam *Diſſertationis noſtræ inauguralis* tenor atque clangor omnis conſiſtit, præter quod verum a falſo diſcernendi gratia theſin hanc noſtram validiſſimam & ab omni contradictione falſa tutiſſimam, & rationibus & experientia & hiſtoria comprobare, ad captam legentium amplificare & exornare nobis libuerit; inſulſe admodum & pervicaci genio nobis imputatum, quaſi Sthalianiſmum offenſive oppugnaſſemus, cum tamen Regii illius quondam Archiatri nunc defuncti, Viri doctiſſimi, expertiſſimi, nec non chemici admodum celebris memoria nobis ſacra laudisque ſit perennis, id quod Viro huic celebri Epitaphii loco ſit, maneatque poſitum, quanquam & ipſe & ſuo loco Dippelium carbone notarit, componant nunc, uterque, in foro Poli ſuum inter ſe, quod reſtitat, diſcrimen, inter ipſorum Manes, ſi diſſidentes, me

arbi-

arbitrum non interponam; utique & Methodus illius haud noſtræ, nec noſtra viciſſim ipſius obnititur, inſolentem autem diſcipulorum ejus exorbitantium, Magiſtrique ſui veſtigia interculcantium errores jure merito, quo revertant & convertantur, ſuaviter atque amice reprehendiſſe, exhinc benevolentiam nos præ odio meruiſſe, nobis quivis bonæ mentis concedet libere. Multis & variis è Regno Vegetabili, quamvis utplurimum obiter tantum egeſtis & digeſtis, à minimo tamen mihi obvio, credas, *Solis rore* ad altiſſimos Arborum apices & faſtigia ſumma perrectus Plantarum Orbem vexare deſtiti, dimiſi, ultro tamen aſſumturus, triaque Regna *vinculo* hocce inter ſe conciliaturus Deo volente & aſſiſtente conſtitui, hoc enim inſuper eſt alterutri reliquorum inſerviens, & ex quo maxime ſuſtentamur & vivimus Regnum.

Vaſtiſſimum tandem, & duriſſimum & compactiſſimum, vix omnes ævi hujus divitias labori arduo exſolvens Minerale Regnum adoriri animo fuit. Præ cœteris hercle hoc allubuit mihi arriſitque perpendenti: Lapidem ipſum Philoſophorum, ſi modo Lapidis gaudeat forma, proxime huic *Mineralis Regni delineatio.*

Regno

Regno ſuam debere originem, non abſonum Menti, non Naturæ, ex carne enim naſcitur caro, ex arbore provenit arbor, & ſi Lapidem quemlibet ſine diſcrimine, ſive in regno animali ſive vegetabili repertum, dixeris Minerali Regno affinem, applaudo.

♁. Perlectis Baſilii Valentini Monachi, aliorumque ſcriptis chemicis irritatus, Antimonio Mineræ admodum curioſæ & vix miraculoſæ bellum acre denunciabam, & quam diu illud, quamvis igne & ferro pejus ad tramitem, amuſſim & modum ab Auctoribus deſcriptum invaſiſſem, omnem meum laborem ad irritum ſemper revolutum compertus, aliam ingreſſus viam, metam utcunque tetigi; Acetum Antimonii communiſſimum; Sulphur ejus notiſſimum; Sal vero rariſſimum, quo tamen antimonium æque ac cœteris mirum in modum abundare, affirmo, docebo: En! ab invidia liber, ſal hoc in copia eliciendi modum adaperiendo & tibi communicando liberalitate mea hac ipſemet fruar; innoteſcet forſitan, Antimonii fuſi & in ſcorias tranſacti libram unam expendere ſulphuris rariſſimi libram ſemis ſive dimidiam, inſuper incredulo imperito inſto:

inſto: libram Antimonii tres quadrantes ſulphuris & ultra exhibere, colore pro menſtrui præcipitantis diverſitate & virtute vario, notandum eſt: a ſale, ignis regimine atque matureſcentia, quin & non minus a præcipitantis menſtrui virtute & efficacia totum dependere opus.

Antimonium Soli immaturo comparandum, nullus, qui interiora ejus viſitavit, dubio hærere poteſt, ſulphur enim ipſum eſſe aurificum, evicta res eſt, inficias iturum Reguli antimonii martialis ſcoriæ, Lunæ finiſſimæ fluenti in triplo aliquoties de novo adjectæ doceant; utique per viam, quam chemiſtæ humidam vocant, confirmari, aſſeres, ſecus ac quidam, quem ſuo loco Alchymiſtam egregium ſenioremque, quique ante hac aliquot millia Vulcano in irritum obtulit, de ſe ſuoque in chemia ſcire atque expertum eſſe eloquentem, multaque & varia de particularibus jactitantem, pluriumque ſe compotem publice profeſſum vix attonitus audivi, & quoniam de Antimonio aurifero utique diſſerebat, adire ipſum & propius de hac re percipere, mecum conſtitui, ſi forte à Divite iſto Particulariſta ego pro mea parte exiguo contentus expiſcarer particulare

H ex

ex antimonio proficiſcens, diſſimulando meam praxin tiro in Alchymia ipſii viſus, adeoque ab ipſo interrogatus, num vellem Particulare per viam ſiccam, an per humidam? reſpondi: me ſiccam ſeligere viam ab omni ſpurcitie abſolutam, puramque, ad quam ſectandam mihi commendabat legendos ſeqq. Authores: Henckelii pyrotologiam, Floram ſaturnizantem, Bernhardum Treviſanum, Thomæ de Vagam Abyſium, Rhumelium Rhenanum, dem zweyfachen Mercurial-Stab; inſuper me inſtruebat, tandem Particulare exx Antimonio mihi animo pergrato dictitabat ſequens: ℞. calc. ☽. part. j. 🜍ris ♁ii part. jj. vel jjj. & ☿~ti part. jjj. vel iv. miſce optimé, ſublimata ter autt quater, reducendo Lunam, eam, quamvis ſine magno lucro, Sole gravidam reperies; hoc ut mihi dono datum, & gratis reddo tibi, Curioſe Lector! ex antimonii ſulphure, me autem latett circa hunc proceſſum & victus & effectus & phyſica ratio, cœtera ergo merito tibi rimanda relinquo, adortasque te exinde divitias haut invideo. Suſtine interim, Antimonium eſſe naturæ ſolaris, amicabiliusque auro nihil neque vicinius & magis affine, præter Mercurium, de quo in ſeqq. in ſua aquæ

forma

forma & Antimonium mineram, *ille* enim Soli junctus intime adhæret, & non niſi Vulcani ope ſeparandus: *hoc* auri lavacrum & purgatorium præſtantiſſimum; imo Pharmacopolæ ſulphur antimonii venditant auratum.

Antimonii Sulphur bene elixatum ♁*ii* 🜍*r.* optimeque edulcoratum, pro more ſulphuris communis inflammabile ſe adjecta pruna incendio ſubducit; e cineribus reſiduis elici ſal pulcerrimum aqua communi, nullus dubites ſed & cœtera in filtris reſidua terra, vulgo quoque mortua dicta, utique ad poſtremum edulcorata te ſalis copia donabit, quando modo ſcorias illas quam optime elixatas, aut ſuper lamina ferrea, aut terreo lebeta ſeu tigillo amplo continuo agitando incandeſcere feceris (hanc terram denuo redivivam ſeque movere & coire cernes, nil officit) candeſcentes deinde aquæ pluviali injeceris (reiterare toties, quoties præda, licet) aquam tandem filtraveris, cujus parte tertia evaporata & frigido expoſita ſal flocculis nivis aluminique plumoſo ſimile & tactu & conſpectu rariſſimum conſpicaberis; altera parte defumata cryſtalla nitri adinſtar, ſed cubica & clariſſima; denique ſal fixum ſe in fundo reliquum conſpi-

ciendum dabit; & ſimiliter totum mi-
nerale Regnum ſuo pollere ſale atque
ſulphure, credas! non me tantum te-
ſte, ſed magis ad ogganientium cun-
ctorum ſiſtendum murmur, manum
ipſe præbeto operi, & idem experieris
mecum.

♁. *Ad medicinam.* Antimonium ignorantes & rudi
Minerva edocti utpote luci & veritati
oppoſiti venenum clamitant, quum
tamen. 1. Crudum fuſum per ſe jam
ſit medicina & hominibus & animan-
tibus brutis variis medendis morbis
nata: D. Herm. Fried. Teichmeyer
Prof. celebr. Jen. in inſtit. chem.
Antimonium crudum tutiſſimum ap-
pellitat remedium ſibi cum egregio
ſucceſſu probatum, eo fini allegat
Kunckelium, qui contracturam &
acerbiſſimos articulorum dolores eo
crudo curarit. 2. Neque fumus ſul
calcinatione veneficus eſt, quum tuſ
ſim inveteratam & celebr. Sthalio in
ſemetipſo, ut mihi relatum, teſte ex
perto ſanarit. 3. Acetum Antimonii
quid & in Medicina præſtet, nemo
chemicus ignorabit. 4. Sulphur ejus
bene præparatus varios pro ſalium
præcipitantium varietate ſpectatu non
injucundos producit colores, aliqua
ejusdem grana vino macerata pro ra-
tione

tione ætatis & conditionis porrecta vomitus absque moleſtia movent,imo per quatuor emunctoria ſimul operatur hoc ſulphur, utique ſi vis, per ſeceſſum ſolum purgat minori doſi ſumtum, & ſi parcius, ſe nec vomitorium neque laxativum exponet, quanquem inſenſibiliter tamen egregias præſtiturum ſit vires : recens-natis granum unicum in 12. partes diviſum, unicoque vitæ cujusdam balſami grano miſtum quovis mane & veſpere cum ſucceſſu feliciſſimo porrigitur; imo quod magis, ſulphur hoc ſuo, quod amat, ſale junctum doſi & tempore æquo exhibitum contra hydropſim medetur, hercle ubi aliqualis adhuc è viſceribus vaſisque lymphaticis elabendi ſpes murmuratur, hoc ſulphur brevi abſolvet, non tantum aquam diuretice educendo, ſed & exſiccando, conſolidando, reſtaurando &c. id quod non theoria, ſed & praxi ſecundiſſima expertus trado. 5. Quæ quæſo! præter ex eodem hoc antimonii ſulphure extracta Tinctura in pharmacopæis præſtans atque valida? 6. Antimonium in Alcali reductum virtute ſua diaphoretica ſuam ipſam ſatis ſuperque deprædicat laudem atque præſtantiam.

*Natura ſulphurum.* Haud incognita forte tibi res erit Sulphur commune, de quo Theophraſtus Paracelſus Bombaſt ab Hohenheim multa balbucinando jactavit, inter alia: qui ex ſulphure communi & antimonii neſciret facere tincturam ad particulare, per totam chymiam invalidum ire; præcipue oleum ſulphuris ex hepate per retortam & ignis gradus preſſum eximie laudant, deque illo blaterant naſuti chemici, fuſo ſuper lunæ calcem poſt aliquod dierum digeſtionem alteram lunæ partem gradatam ſive transmutatam reperiri in optimum ſolem, credat Judæus Apella, non ego, quamvis etiam Democritus e ſuo puteo hauſiſſet, firmoque & ſerio aſſeveraſſet, fidem tamen ſalvo reſpectu ſuo ipſam Authori relinquerem; Nemo mihi inſuper contradicet, omne ſulphur nomine ſuo dignum natura ſua aliud nihil eſſe, quam oleum ſiccum & vice verſa, omne oleum eſſe ſulphur fluidum prætereaque nihil; & ſi ſulphur ſive oleum lucis ignisque dixeris domum, non inepte, citetur modo igne & materia ad actionem commoda:

*Sulphurum fixitas.* Omne autem miraculum Alchymicum tam ad Medicinam quam ad Metalla in ſulphure & Sale (in acido & alca-

alcali mihi idem & perinde ſonat) eſſe quæſitandum, non inepte pronunciatur a chemiſtis; verum enim vero deſiderant ſulphur embryonatum, humidi ſui radicalis admodum compos & denique fixum, quoin autem fixitatem velint & ponant, me hercle latet; nam ſulpher ſive oleum ſua natura fixitatem abhorrere, evidentiſſimum eſt, *ſive* nunc ſulphur ſuum fixum adoptent, ut igni conſiſtat incolume aut imcombuſtibile! ſed ad quid tum in Alchymia? nauci dicas! quoniam tum deſiit eſſe ſulphur, facta terra ſicca cœterisque vacuis non abſimilis; *ſive* ſulphur ſuum denominent fixum, fluens nimirum ſalis adinſtar in tigillo, tum utique non ſulphur amplius, ſed ſalis fixi natura gaudere, aſſeres; ſi autem inſtarent: tum utique ſulphur *noſtrum* eſt, & ut oportet eſſe, fluidum, fixum & ad ingrediendum & penetrandum metalla potens atque capax; ſed heus Chemice? dimiſſis præmittendis ſupponendo calculum philoſopharis, poſito enim, ſulphur ſive oleum tuum ſalis induiſſe naturam, cui fini ad metalla? flocci minus! an quid ultro, quam cœtera cum metallis mixta ſalia præſtiturum putes? ambigo, ignorari enim haut poteſt illa

inter ſulphur & ſal, id eſt; inter oleum & aquam antipathia & contrarietas, adverſa natura atque diſcrimen, quomodo duo hæcce contraria & quo medio uniantur & quod & quale tertium præſtent, diſce a ſaponariis, hercle neque tincturam ad particulare, multo minus lapidem univerſalem exinde enaſci informaberis. Supra dixi: ſulphur fluidum liquidum extra ignem, eſt oleum, ad quid vero olea? nemini neque ruſticolis ignotum! verum tibi dico, eadem, quæ olei vegetabilis & animalis, eſt etiam ratio & qualitas mineralis, in hoc tertio unum idemque reponunt, conſtituunt, teſtantur, chemice! ſunt olea natura ſua cuncta conflagrantia, ellychnium oleo minerali impoſitum & accenſum te docebit, quo incendio atque violentia deflagret & quod cœterorum Regnorum olea hoc multum præſtent ſoliditate aut ſi mavis, fixitate, perinde mihi, concedam, valeant uſu verba, quantum valere natura permittit.

*Oleum ♀ii & 🜍ris communis* Communis ſulphuris olei conficiendi modus per ſe è retorta, procul dubio erit vulgatiſſimus, fit enim ſecundum ignis gradus ad fortiſſimum usque 48. horarum ſpatio, iſtud deinde rectificatur & ſpiritu vini rectifica-

tiſſimo

tiſſimo tandem circulatur, quo tetricum ſuum aliquatenus amittit fœtorem; eadem via etiam oleum antimonii conficitur & omnium ſulphurum, quod utrumque non ſolum una aut altera vice, ſed pluries, modo ad hunc ſcopum prius fuerint præparata, è retorta exploſi, ad quid? interrogabis, ô quanti Baſilius Valentinus monachus, Theophraſtus Paracelſus, Agricola &c. pendere hoc oleum ſulphuris com. & antimonii! ô quantas de iis ſufflare ampullas! quam admirandas & inenarrabiles iis adſcripſere tam in Medicina, quam Alchymia virtutes! *interne* aliquibus tantum guttulis pro doſi phthiſi ex ulcere pulmonum ortæ iri conſultum; hepatis ſcirrhoma leniter inde reſolvi, omnem ſpleneticam facillime reſerari obſtructionem, quidni & cœteri omnes huicce oleo morbi cedent? *externe* Elephantiaſin, omnis generis fiſtulas, ulcera cacoëthica, peſtilentialia ab his oleis fugari, ſanari; quis quæſo credulus ſe heic ab impetu lapidis Philoſophorum vindicare & ab opinione medicinæ univerſalis proxime extricare poterit? quin non in Alchymia omne tibi adprecatum præſtitura? ô felix fauſtusque voti ſui ex hoc ærario

compos! hujus ſi eſſem conſors fortu-
næ, mihi, ne invideas, benevole Le-
ctor! gloriæ in hujus Soli foro atque
maxumo ducerem honori, ſed eheu
votum & nervus non pari ambulante
ſiſto. Tu aufer interim hoc mihi em-
piria probatum ſæpius & benevolen-
tia notatum, recipe triangulum, ſal,
ſulphur & Mercurium & ulterius per-
ge, per me licet. Silices, lapilloſque,
quibus NB. mediis per viam ſiccam
vitra, per humidam ſapones parantur,
cœteroſque Regno Minerali incluſos
nunc mitto, contentus, tibi hæcce, quæ
ſupra, è ſincero dixiſſe, & pro præſenti
adhuc amplius innuere:

⊖. A Mineris me contuliſſe ad Salia,
non immemor enim triti illius ſopho-
rum: *ſalia ſunt operis noſtri claves*,
item *ſal metallorum & lapis Philoſo-
phorum* &c. inſtabis forſan interro-
gando, quid ergo de ſale antimonii au-
ro affini & amico proximo cenſendum,
quod idcirco non tam ſal Mineræ ſim-
pliciter, quam potius & maxime Metal-
lorum appellari mereatur? reſpondeo,
ſi tibi ſic, bene! audias vero velim, ſi
placet, quid & quod porro & ultra ſim
dicturus: Viſitabis Interiora Terræ
Rectificando Invenies Occultum La-
pidem Univerſalem Medicinam, eſt
priſcum

priſcum ſemetipſum literis principibus explicans ænigma & audit nomine proprio VITRIOLUM. Sal mirabile præ cœteris vix omnibus, Magneticum, Sympatheticum & forte univerſalis cuncta concatenantis diſſolventisque ſpiritus mundi domus & habitaculum pronunciari meretur.

*Elixire acidum ex oleo* ⊕.

Memor heic loci noſtri à Democrito nobis communicati & in Diſſertatione noſtra inaugurali citati laudatique in utraque Arthritide, tartarea & ſcorbutica ſecundiſſime propinandi ex Vitrioli oleo adjunctis ſpiritu vini rectificatiſſimo & è regno vegetabili ſpecificis præparati Elixiris acidi, quod præter ignorantem nemo rejiciet, celeber. Sthalius ipſe illud ſuam tincturam Mineralem anodynam appellitabat, & cum felici ſucceſſu, utpote ſecretum & arcanum habuit, ordinavitque; poſt Democriti ſeceſſum demum & Dippelium & ejus medicamenta infamandi occaſionem ex ſcirpo animoque haud gravi, & oblito illius: *de mortuis nil niſi bene, dum mortuus eſt homo, quieſcat, dum autem vivit, noveris; ex ſanguium enim manium quies non turbanda, & fatis ereptos ultra perſequi, nefas duxeris*: quæſitarunt, ſumſerunt; poſtremus ſe odio

nimis

nimis gravem orbi docto ſtitit quidam in ſuo tractatu: Der Chymiſchen und heutigen Welt nutzbahre Schatz-Kammer, Francofurti ad Mœnum 1736. quisquis etiam ille ſub nomine Sinceri Hydrophyli incedens ſit, hercle Philoſophi, id eſt: Deo in Chriſto devoti legem atque charitatis debitæ officium transgreſſus in duos, heus! non communis notæ viros offenſive irruit, quorum ille, contra quem pag. 127. adhuc inter vivos, hic autem, qui abhinc diſceſſit, videtur Democritus ab ipſo aterrimo notatus pag. 140. his ſequentibus verbis: Doch fällt mir ein, daß ein gewiſſer groſſer Mann ſich mit mineraliſchen ſo genannten ſauren Tropffen hat wollen groß, ja gar dardurch unter die Zahl der wahren Philoſophorum und Adeptorum zählen, die er aber ſo künſtlich zu verfertigen gewuſt, daß ſie als ein grauſames Corroſiv einen ſo ſtarcken Effect gehabt, daß von wenig Tropffen der ſie eingenommen, die Zähne aus dem Munde gefallen, und den Inventor ſelbſten ſollen ſie in ſeinem beſten Alter ums Leben gebracht haben; injuria hercle magna foret, ſi in Democritum, ejus Elixir acidum mihi quam optime notum, eſt illud idem, ut ſupra dictum, ex oleo

vi-

vitrioli factum anodynum minerale celeber. Sthalii, cujus doſin Democritus præſcripſit 25. ad 30. guttularum in vino hiſpanico, cujus ſecure & felici ſucceſſu non tantum 30. ſed & 50. & 80. guttulæ inſimul vel vino hiſpanico vel aqua ſaccharáta Thée &c. ſumi poſſunt, id quod ego expertus in quodam Mercatore Elberfeldenſi adhuc inter vivos exiſtente, huic de multo hinc inde vagabundo dolore arthritico mecum conqueſto Elixiris acidi oleo caryophillorum exſatiati ordinavi unciam unam, quotidie bis ſumat vino hiſpanico 25. ad 30. guttas, die ex poſt tertio me viſendi gratia ſpatiatum quam ſtatim interrogavi, quomodo ſe habeat, reſpondit: optime, omnes Deo ſint grates, omnino, quibus tamdiu fui vexatus, fugati ſunt dolores, perfecta nunc fruor ſanitate, Elixir acidum me curavit, mihi vero inſtanti, ut pergat indies, quod reliquum, ordine præſcripto ſumere, reſpondit, ſe Elixir acidum omne conſumſiſſe, neque reſtitare guttulam, me autem exinde vix attonitum & in mirationem raptum ſpectans pergit: ſe ſecundum præſcriptum quavis vice pro doſi 130. guttulas ebibiſſe, nullum ergo mirum infit, ſe unciam illam unicam in tribus diebus con-

conſumſiſſe; eadem meridie ipſo præſente quivis noſtruum 100. guttulas aqua Théebene dulcificata ſine noxa ſumſimus, ex quo liquet, Dippelium hocce & quidem ſuo loco & tempore ſaluberrimo acido neque ſe, neque alios occidiſſe, hæc ἐν παρόγω pro defendenda veritate dixiſſe, Lectori benevolo neutiquam moleſtum fuiſſe, ſpero.

Sal Vitrioli divexavi valde, calcinando illud in rubrum, ſi concedis, & album, tum & idem exſiccatiſſimum primo lento, deinde fortiori, tandem fortiſſimo igne è retorta in oleum è primis butyri adinſtar collo adhærentis expellendo; denique hoc oleum à Luna & Mercurio reſolutis ignis vehementia ulterius coërcendo, factum mihi eſt rubicundiſſimum; Nondum vero hoc oleo fixo, ſive potius hoc ſpiritu concentratiſſimo contentus, ſed ut etiam volatilem & mercurialem ex vitriolo poſſiderem ſpiritum, fundebam ſpiritus ſalis ammoniaci & rectificatiſſimi ſpiritus vini ana ſuper vitriolum Hungaricum vel Romanum colore ſuo igne temperato ſpoliatum, in alembico amplo & ſextidua deſtillatione è tepido maris balneo peracta valde volatilem & ſubtiliſſimum ſpiritum accipiebam, neque caput mor-

tuum

tuum ſale ſemper refertum rejeciebam; uno verbo, reperi: Vitriolum præcipuas Alchymiæ conferre opes atque virtutes, ſequens unicum experimentum ſpondeat pro cœteris plerisque. Erat mihi ſalis fixi ex ſulphure communi eliciti uncia una, illud ſal igne fortiori exſiccabam, ut quaſi lapideſceret, & ne Draco reſpiret, ex tempore eum affuſis primo oleo vitrioli deinde ſpiritu vini rectificatiſſimo commiſi Alembiculo Hermetice obturato in digeſtione admodum leni, ſpatio duarum circiter horarum abacto vitrum inſpiciens vix attonitus obſervabam: ſal noſtrum fixum ſulphuris nunc totum, ſuamque ſordidam maxime & formam & naturam exuiſſe, atque alia nunc natura multo excellentiori & nive vix candidiori, forma oblonga & circumplaneta gaudere; quo vero ſe receperint ſordes, videre neutiquam erat, ſpiritu ſupereminente clariſſimo, & cum poſtmodum filtrarem, erat mihi ſal amœniſſimum & medium & ſuſtinens auram & miræ naturæ.

Acuite ingenia Phyſici! & Chemiſtæ rationem de hoc Phænomeno pronunciaturi adeſte! quo abiit color? quo fœtor auffugit? quo unguinoſa fixi-

fixitas ceſſit? qui fit, quod fœtor in odorem flagrantem & tenebroſæ ſordes in corpus lucidiſſimum eadem manente ſubſtantia conſpiciantur transmutata? metamorphoſis jucunda atque notabilis, ſiccine! tenebræ fiemt lux? an feces & ſcoriæ rariſſima atque clariſſima, eadem tamen manente ſemper ſubſtantia, conſtituent corpora inverſa forſitan? ergo convertantur & res erit ſalva? Quis ſanæ mentis obloquetur & Naturæ & Rationi adverſabitur? cœcutientes cumprimis ævi noſtri Prædicatores & Eccleſiæ reformatæ noſtræ Adminiſtros, ut dimiſſo ſuo commercio Phyſicam diſcerent & exinde evaderent Theologi monitos vellem, ſed ſurdo cane fidibus! vos autem, qui oculis veſtris videtis & auribus percipitis, Sophiæ Filii, Phyſices Alumni & Naturæ utriusque ſcrutatores inde homines vocari digni ſtudioſi! Hoc Novum, Rarum & Verum Veritatis haud cognitæ experimentum phyſicum eo animo atque claritate, qua vobis propino, accipite.

*Democriti memoria.* Elaté nunc loquar, Lector Curioſe! me non infimum in Schola Hermetica mereri locum exinde forte ſuſpicaberis, non immemor: me De-

mocriti Philoſophi vix per omnem orbem famigeratiſſimi, doctiſſimi & humanitate & familiaritate præ cœteris pluribus eſſe fructum, quod concedo ambabus ; nam commercium literarum ( ab anno 1731. & tempore, quo diſſertatione ipſius inaugurali in Bibliopolio quodam Düſſeldorffii, caſu & fortuito quaſi reperta nomen Dippelii & Democriti demum mihi innotuit inclaruitque) diligentiſſime ab utroque noſtruum eſt obſervatum, eo enim cujuslibet noſtrum intereſſe aut commodum, aut alterius utriusque forte ſuæ ſonticæ rei cardo vertebatur ; quod ad me, magna in arte chemica & machaonica ab illo ævi hujus egregio Philoſopho & Præceptore Hermetico ediſcendi cupidine adactus, ejus amicitiam diligenter ſervare ſtudui, hinc de Religione aut opinionibus Theologiam concernentibus, de quibus cum ſuæ ſectæ Miniſtris ipſi continuo & ad ſuum obitum usque res erat controverſa, neque verbulum unquam inter nos unus aut alter perdidit; Vicibus binis Berlenburgi inter nos ſolos fecimus colloquium, primum concernebat Patientem Epilepſia Chronica veſtitum, cui Lunam præparatam in reſtitutionem mirabi-

lem dedimus ; alterum hercle colloquium ſive conventus mutuus non magni, ſed maximi erat momenti, nam eo ipſo intimum pectoris & cordis ſui penetralia mihi fecit palam, & pergrande illud mundo relatum myſterium de conficiendo lapide Philoſophorum mihi in tantum amandabat, ut cuncta ad illum laborem requiſita præparatoria aſſiduo facerem, cui nihil reſtitet, quam ſolis fermentatio, atque utriusque conjunctio, quodque ſibi faciundum reſervatum vellet ; non defui, neque officio, neque ſtudio, quin non præparanda, totum proceſſum in requiſitum & talem produxiſſem effectum, ut contentus omnino & gaudio perfuſus Dippelius quam maximas mihi ageret gratias, adjecto elogio: me ipſi nunc operis confeciſſe & præbuiſſe clavim.

Annon memetipſum vix majorem crediſſe Philoſophum ipſo Dippelio Magiſtro, ſupputabis ? parum abfuit: cum Democritus MDCCXXXII. Novembr. Vto mihi ſponte & clariſſimis linea obductis literis ſanctequee primum myſterioſæ illius medicinæ ſive Tincturæ ſolaris ſpecimen eſſe profeſſus atque pollicitus, & adinſuper in iisdem illis literis in donum gratui

tuitum aut in ſignum ſuæ de arduo meo labore conceptæ gratitudinis mihi obtuliſſet proceſſum ad Particulare ex eodem illo univerſalitatis fonte fluens, quo commode & independenter ab ulla creatura, bonaque quiete, pace & otio, quotidiano meo veſci pane poſſem &c. ego viciſſim utrumque & Proceſſum ad Particulare hoc celebre atque precioſum, illudque de communicanda mecum Tinctura factum promiſſum ſuo relinquo valori & effectui; ut tu Curioſe Lector! forte animo faris: interim tibi Democritus devotus manſit debitor; reſpondeo: Fata, quæ poſtremum contigere Democrito, promiſſa & per me remiſſa perſolvunt, ſua enim cauſa non amplius pendet, ex inopinato ipſe, forte & improviſo ſe in foro Poli ſiſtendum absque remora occitatus itiner iſtud, quanquam irredux, retardare non audebat, oportebat accelerare & parere mandato; ulla quæſo! ubi fuga lethi? an non, qua ſorte Protoplaſti noſtri & poſt ipſos ad hos noſtros dies quicunque occubuere mori, eadem cuique noſtrum & quotquot poſt nos ad ſeculorum conſumationem usque naſcituri ſuum obire diem continget? *beati ſervi illi*, inquit Veritas ipſa, *α* & *ω*,

Principium & Finis, unigenitus Dei Filius Adamus Alter, Mundi Salvator, Rex Zionis, Cœli Terræque Dominus Jeſus Chriſtus, *quos, quam venerit Dominus, invenerit vigilantes, Amen dico vobis, faciet, ut diſcumbant cum ipſo, & vos,* ſuos omnimode alloquens ſectatores, pergit: *eſtote igitur parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet beatus ſervus ille quem, quum venerit Dominus, invenerit ita facientem Luc. 12. & Apoc. 16. Ecce venio* ait: Idem ipſe ſuorum omnium, quotquot ejus veſtigia animo vigilanti legunt, Soſpitator Jeſus Chriſtus, Amen & fideliſſimus Teſtis & verax opificii Dei principium, *ut fuit beatus, qui vigilat, & ſervat veſtimenta ſua, ne nudus ambulet & cernantur pudenda ipſius.* Id quod & Lectorem Deo in Chriſto devotum & meum conſervum ipſummet ad Dei Triunius ſempiternam laudem atque gloriam nec non noſtram in Chriſto & per Chriſtum Dominum noſtrum paratam & certo ſua conditione ſervata futuram atque æternam beatitudinem ex genuina cordis ſinceritate moneo, voveo, precor.

Certe eodem maxime tempore, quo indies illam diu deſideratam Claſſem

auri-

auriferam eſſem præſtolatus, fatale & triſte mihi nuncium omnis conceptæ ſpei ex abrupto ancoram ſolvit; mox ubique rumor ſpargebat; Novum & inopinatum! exceſſit, evaſit, erupit Dippelius, in inimicorum ſuorum jubila & hilaria miſſo ſeculo aſtra petiit! quod demum ex literis à Domino Comite Imperiali Auguſto Wezlaria mihi factis indubitatum credidi; poſtmodum ſtudioſus aliquis, Democriti in Arce Wittgenſteiniana amanuenſis & repentini maxime Philoſophi iſtius diſceſſus teſtis certiſſimus mihi retulit, quod in laboratorio illico confeciſſent phoſphorum in quantitate, ad quid, ipſum proprie latebat, hoc ſaltem vero verius affirmabat, Democritum fuiſſe intentionis firmiſſimæ, illic componere Tincturam ſolarem, & ex illa ſua debita, præprimis Domino Comiti Auguſto de Wittgenſtein perſoluturum deinde Moſcoviam profecturum; hucusque, non amplius de Democriti fatalitate atque ſidere, ne porro noſtrum remoretur ſcopum, utpote qui noſtra propria, non alterius in chymia concernit fata atque profectus.

Trium Regnorum, Animalis, Vegetabilis & Mineralis & ipſo magnete Vitriolo triangulatim exploratis, Dia- *Secundum Auream catenam Homeri.*

 dema-

demate tamen regali noſtro nondum
ſubjecto dominio, Homeri illius in
cogniti aureæ catenæ Authoris tra
mitem inſtiturus & ad amuſſim ſequu
turus Comædiæ huic chemicæ finem
facere, firmo animo conſtitui; ſecun
dum Authoris citati formulam igneo
graphiatenus præparanda ingenioſiſſi
me, ut mihi videbantur, excogitav
nimirum. 1. Sal fixum corroſivum
minerale omnino; 2. Vinculum inter
utrumque ſeu mediatorem, hinc va
ria aceta philoſophice, ut viſum era
compoſui ſi forſitan inter plura verum
mihi reperiretur; 3. Volatilia crede
& compoſita & ſimplicia & ſicca &
fluida varia non rudi Minerva parat
ad manus erant; nihil reſtitabat aliu
quam horum omnium phyſica con
junctio, ut, ſi non lapidem Philoſopho
rum; ſaltem communium omnium
Univerſi celebriorem perhiberent me
dicinam, & abfuiſſe multum, ne qui
mihi tunc dixerit!

Ingenioſiſſimi illius Authoris ratio
nes, poſitiones, deductiones mihi præ
cœteris omnium Chemiſtarum, quos
unquam legi, ſcriptis arridebant & ad
huc arrident ex ſincero videbantur
mihi traductæ, ſanæ menti plauſibiles
fideque digniſſimæ; unicum eſt, quod

Au

Authorem craſſiſſimæ imo ruſticæ invidiæ arguebam, quod nimirum ſuum reticuiſſet acetum, ſuperbe inſuper de illo jactitans: hoc acetum ſuum totius operis præſtare clavim, quo effutito & artem ipſam fieri palam; plus quam viginti experimentis ſecundum totidem conceptus varios inſtitutis, cucurbitulisque vitreis vexillis ſuis ad diſtinctionem notatis & ordine ſpectatu jucundo ſuper unico fornace digeſtifico & arena rariſſima referto in circulum poſitis, prælium hoc ſub ſpe acquirendi Trophæi alacriter ſum aggreſſus, quo peracto & cupidine exſaturata.

Planetas ſeptem Regentes inviſendi nova cupidine flagrans periculum feci, ſi forte fortuito unius horum vel alterius magnanimitate, generoſitate, & fidelitate ductus felicem attingerem metam. I. Regem ipſum, prouti fas erat & æquum, adorſus, Solem videlicet, Metallum omnium præcipuum, ſolidiſſimum, rariſſimum examinandum citavi, nullus dubio hærens, ejus ſanguinem ſive animam cæteris ſuis ſubjectis imperfectis & domeſticis & fratribus in emolumentum, meliorationem, imo omnimodam ad ipſorum plenarium, perfectum, per-

*Planetæ Regentes.*

☉.

fectius & perfectiſſimum eſſe, transmutationem ſcilicet futuram ſeu reſuſcitationem & glorioſam exaltationem inſerviturum; paruit citationi Sol obedientia Charactere ſuo atque genio digna, ſicque conſtitit labore, ut tandem lapidem illum feciſſem purpurei coloris, an Philoſophorum? protestor in forma optima, Alcalicum ſcias! purpureo Sparſum lapidem auram pro more non ſuſtinentem, ad Tincturam analepticam ſive aurum potabile ſuis vicibus valens; Ipſe videlicet Sol in Alchymia, cujus vitæ aqua undique rigatus hortus Heſperidum mala producit, nullius compos miraculi mihi apparuit; Aquam niveam & pluvialem manibus continuo agitatam Solem crudum limatum præ cœteris menſtruis ſolvere atteſtor, deinde aqua illa coloris ſubrubicundi filtrata & evaporata gummoſam relinquit materiam, id quod Hippocratico illi hucusque variis ægre vexato convitiis apprime quadrat: *aurum operantes*, inquit Hippocrates, *tundunt lavant, molli igni liquant, forti enim non conflatur.* At Sole mihi myſterium Alchymicum ſubticente

II. Lu-

II. Lunam fœminam, ſive ejus uxorem blanditiis circumvenire, eandemque mihi adeo reddere familiarem, propoſüi, ut vix ſe continere poſſet, quin mihi non intima ſua & orbi occluſa & ipſiusmet ſui Mariti Solis arcana omnia ſit patefactura; cum autem ex inſperato Pythagoream ageret & Myſterium magnum Hermetis ſigillo obſignatum mihi nictaret, eam tormentis ſcalis gemoniis multo crudelioribus ſubjeci, denique ferro & igne, ut omnem meum explerem animum, illam diſcruciando, mihi præter ejus ſanguinem ad Tincturam aliquatenus medicinalem nihil prædæ remanſit; animo autem meo & hoc rigoroſo conamine, tentamine, examine & effectu nondum placato, utrosque Solem & Lunam ☽.

III. Jovi infidelitatis crimine condemnandos detuli; verum enim vero Jupiter non tantum illorum partes tenebat, ſed ipſe hercle moribus crudelior illis, eſt intractabilis, dicti ictusque impatiens, furibundus, & præter ſtridorem horrendum & ſtrepitus terribiles nil niſi fulgura periculoſiſſima, tonitruaque formidanda mihi reſponſans, tandem vix vacuo cinereo corpore relicto aſtrum ſuum petens fugiebat ♃.

bat conſpectum, injucundus Planeta Chemico, faſtidioſus Medico atque malevolens. Eja animoſe! me ipſum erigendum affatus perſtiti & meum intrepidus ad Aſtra cœtera continuans iter.

♂. IV. Martis offendi caſtra fretus; Servum hunc rubeum mihi faciundo familiariſſimum, utpote qui præ cœteris Planetis mari terraque peritus, forte etiam eſſet humanior illis, alias enim, indefeſſi animi, temperamenti cholerici ſanguineo miſti, conditionis facile inæſtuantis, ignes fortiſſimos tolerantis, nullam tempeſtatem, neque Nimbos fugientis, in utroque caſu atque fatalitate liberalis ſemper & largus ſuum copioſum ſpargit crocum & rubicundiſſimum; Sal partius ſerit victriolicum: magnifaciunt ipſum Chemiſtæ Sophici, ex conjugio ipſius cum Luna naſciturum Heroëm autumantes, Aliis cum

V. Venere concubuiſſe Mars habetur ſuſpectus; non autem mirum, Martem Veneris formoſitate, imo & dignitate abreptum & ſervituti mancipatum! nemo enim eam facile præter ignorantem ſpernere poſſe, chemica experimenta probant. Martem, volunt, concubitu cum Venere deprehenſum

pro

pro redemtionis lytro inenarrabilem auri argentique quantitatem, nec non lapillorum præcioſiſſimorum omnem æſtumationem excedentis pretii perſolviſſe; Quis quæſo! præter, qui omnia in Uno poſſidet, tantam ex Venere averſabitur prædam? ad minimum Venerem Sulphure aurifero gaudere utcunque, quis ſi fabulæ adjiciat, non refringam; Medicus ſuis ex cœteris quinque, quæ poſſidet, medicamentis contentus, hunc amolitur Planetam; ad quid Sal Veneris? Vitrioli res eſt, tu cenſe, quanti? Ego interim

VI. Saturni clauſtrum pulſaturus ♄. occurrente acerbiſſim frigoris climate repulſum perpeſſus, remigravi, ſed ſine remora Vulcani copiis, Herculisque clavis & Martis haſta munitus animo erecto glacialem illam & Solis radios fugitantem ſphæram de novo ingreſſus Senem ſalutavi & Planetis cœteris omnibus Seniorem eum inveni, ſed etiam ſenum more, naturæ admodum perfrigidæ & commodiſſimæ, ſegnem & adſpectu deformem, lineamentis infidum, forma agreſtem, genii inſaturabilis & impudentiſſimi, animi langueſcentis, ingenii ſtupidi & avarum tenaciſſimum; hiſce qualitatibus

bene

bene exploratis tetricum atque moroſum ſocium Chirurgis & Pharmacopolis inter ſe ſecandum, ſi non aurum argentumve ex eo, ſaltem ceruſſam, deinde ſaccharum auro argentoque vendendum faciant, accredidi, firmo propoſito, impoſterum dimiſſa hac gente inhumana moratiorum ineundi familiaritatem, præprimis

☿. VII. Mercurii Planetarum potiſſimi, nobiliſſimi, habiliſſimi, ſecretisſimi & cæterorum omnium conſiliarii intimi, meritiſſimi, cui totum Minerale Regnum, imo & ipſa viſceribus terræ incluſa arcana ſingula noteſcunt; Agedum! de civilitate Mercurii certiſſimus expediam. Hercle ſolus ipſe, utpote qui Cœlos Terrasque circumvagatus mihi exactiſſimam lapidis Philoſophorum deſcriptionem & ubi? & qua fraude? an arte! an Marte? an fato? an traduce? aut quo quo ſit capiendus modo? informationem accuratiſſimam communicare poterit, & ſi non? fictitium vix crederem Philoſophorum lapidem; absque cunctatione, ſuſtine! ſpe bona meliorique vela feci & portum attigi, Mercurium, percipe! ſequenti ſum alloquutus elogio:

Tu

Tu Planetarum cœterorum omnium, quot quot orbibus ſuis præſident, Princeps, & ſolus ex iis ſapiens, verſutus, peracutus & exquiſitiſſimis lapidis Philoſophorum conſtruendi qualitatibus pollens, ex natura ditiſſimus, ſed & verſipellis audis; Rumor hinc tuus omnes implevit terras & Alchymiſtas hucusque miſere vexavit; accipe à me laurum tui Principatus atque Coronam, mihi viciſſim Diadema Regale, Lapidem Medicinam utramque mundi in tuam laudem atque honorem perpetuum ſervandum & bene cuſtodiendum retribuas, committas & amandes, velim; ſcias, ſex cœteros mihi pernoteſcere Planetas, ſed ultra quod habent, perſolvere nequeunt, eosque ultra ipſorum poſſe velle expoſtulare & adſtringere in vanum eſt atque ſtolidum; concedo equidem: fratres tuos præſtare tantum, quantum in ſe poſſident & ſtatus ipſorum exigit atque conditio, quæ quæſo! ex imperfectis exſpectanda perfectio eſt? fratres tui omnes ſunt ligati vinculis, ligandique atque catenis; Tu autem libertate frueris indiſſolubili, nemo te facile, aut ne vix quidem capiet; fratres tui omnes ſunt mortales & perituri-

rituri; Tu & immortalis & ſemper incorruptus idemque exiſtis; illi ignibus & aquis vexati obeunt, pereunt & relicto tandem paucillo cinere evanidum eunt; Tu autem ex ſumma ignis vehementia animi alacritatem & volitandi cupidinem hauris; Tu & in imperſcrutabilibus aquarum abyſſis tranquilla maxime gaudes quiete, nunquam ſuffocaris! ubinam? adeſtum Artiſta! qui te pro ſuo figeret arbitrio atque ligaret, multo minus necaret & tuo viveret ſanguine? Tu albis dentibus utrumque Vulcanum & Neptunum, quamvis alter ille Jovis frater ſit, irrides! Tu Samſonii Heroi aſſimilaris! Eccui autem æquiparandi ſunt hoſtes tui & miſerrime, imò inimiciſſime te calumniantes & vexare tentantes chemiſtæ ſtolidi? hercle Philiſtæis, qui quondam Iſraëlis populi Judicem hoſtiliter, ut eum caperent, urbe ſua includebant, ſed fruſtra, judici enim non ſolum exitus ſemper idem & liber manebat, ſed ut Philiſtæos de commiſſa ſtultitia convinceret, urbis portas è cardinibus ſuis ſolutas & devectas ſuper montem quendam ex oppoſito ſitam, pro dedecus! omnium conſpectui exponebat, quo ſaperent inimici Philiſtæi,

quod

quod omnis ſua Samſonem capiendi intentio atque conamen vanum & irritum ; Sique tempore opportuno & Chemiſtæ perſecutores tui ſuo non ſapiunt damno, tu ſæpe eadem mercede, qua tibi voluere & minitare, interitu & morte in putrefactionem futuramque corporum ad immortalitatem reſurrectionem afficere ſoles, quo fato multos & forte innumeros opibus ſuis denudatos expoſuiſti & plurimi ipſa ſua vita hanc ſuam tibi perſolviſſe curioſitatem, triſtiſſima experientia teſtis, adhuc hodie clamitat, dehortatur.

*Antimonium aut ☿rii domus aut ☿ius ipſe.*

Me vero intentionis ſanioris virum, tui commercii & ſortis multo melioris à te dignum cenſeri ſpero; itaque inſto: ne mihi, haut incognito tibi, interiorem tuam formam & fixitatem intueri recuſes. Annon Domus tua externam tuam formam & poſituram teſtans, eſt Antimonium? quod experimento curioſo fultus firmiſſime credo ; bene enim adhuc noſti, me molis tuæ quondam quantitatem aliquam impoſuiſſe tigillo, & inſuper ſalis metallorum quorundam portionem, & poſtremum Vulcani vigilantiæ commendaſſe ! ulterius recordaberis illius tui ex ignis vehementia per-

cepti gaudii ſingularis & avolandi cupidinis? avolaſti equidem, ſed corporis ſive domûs tuæ parte, ſi non omni, ſub globulorum rotundorum forma ſalibus irretitâ relictâ, quos globulos veriſſimum & purgatiſſimum Antimonii regulum examinando ſum expertus; & hoc orbi utplurimum Novum, Rarum & Verum Tu ipſe Mercuri in propria tua cauſa teſtiis ambabus concedis, applaudis! infitias ergo eat Tiro imperitus, Davus, ſusque deque fero; Tibi Lector Curioſe! dono datum, accipe & neutiquam pertæſus animo tuo ſequi & inſequentem attentione tua minime indignam cenſendo comœdiam.

Præparatis per gnaros ævi noſtri myropolas Mercurialibus bene & penitus examinatis, currens ſeu vivus Mercurius poſt dulcem labori magis accommodus mihi paruit; ſuſceperam enim, Mercurium ſecundum auream Homeri catenam transmutare in oleum, mihique hoc ſudore chemico tam ad medicinam quam ad metalla adepta præda iri ſatisfactum, autumans; ſed infidus ſocius labori meo illudebat; non ego ipſum, ſed ipſe me duas integras hyemes divexabat contentus admodum ſuo, quod ipſi deſtinaveram

domi-

domicilio & victu quotidiano; deſpectum hunc graviter & in majorem contumeliam ſuſcipiens amori cucurbitulam vitream, intentione firma fixaque, quod ultra non poteram, nullum amplius cum vagabundo hocce perdendi otium. En! quid contingit? effundendo maſſam, certe non, ut antea ſperabam, oleoſam, ſed aquoſam, & varias interim mecum formando reflectiones, intervenit meæ menti Acidum quoddam à me ante aliquot annos factum & usque huc conſervatum, forte iſtud eſſe Homeri arcanum, quod invidia obſcura celarat; perpauco acidæ illius aquæ affuſo maſſæ vix obſtupeſcebam, cum viderem: quam ſtatim omnem maſſam colore ſanguineo & rubicundiſſimo ſuffuſam, affundebam omne reliquum, quod mihi adhuc erat hujus acidi (eſt autem ſapore, ſubdulce acidum) & commiſi phiolæ perlongæ in digeſtionem.

*Mercurius in rubicundum liquorem ſolvitur.*

Sex menſibus circiter ex poſt liquorem illum Mercurialem penitus rubentem ulterius examinandi cupidine ductus, primo illum per chartam bibulam filtravi, remanente pro hac vice in filtro cinerea terra, deinde

evaporandum expoſui, & reliquit
vaſis fundo pulverem rubicundum
ſuper quo rurſus ſpiritum vini rect
ficatiſſimum fudi, & poſt aliquot di
rum digeſtionem liquorem deſtill
tioni permiſi, ne autem omnis evap
raret ſpiritus ſive humidum, elev
bam vaſculum, & locabam ſuper a
nam recipiente remoto, ſed quid
duabus horis plus minus elapſis c
ca octavam horam veſpertinam
XXV. Novembris MDCCXXXV
Ecce! ſubitaneo fulgure perterrit
retroſpiciens, vitrum ſive cucur
tulam intus flammantem ſpectaba
velox ego exſiliens linteamine, qu
mihi ad manus erat, inſtrumento h
cle retro accommodo, excandeſc
vas vitreum arreptum poſui ſuper c
bones foſſitios à latere Athanoris,
cœteris in eodem illo athanore p
tis vaſculis noceret; aſpectabam
mœdiam minime injucundam, a
to enim lumine illa horæ circi
quadrantis ſpatio imminens conce
flamma è vaſculo ſuo undique, p
ter ſpiraculum ad recipientem
galeæ roſtrum, occluſo affabre lude
circa quatuor conclavis parietes,
numeros inter ſe invicem inhæreſc
tes variosque colores exhibentes c
tinu

inuas pingebat flammulas graveolen-
iæ ſubdulcis ſuavisque & innocuæ, à
rincipio enim usque ad incendii fi-
nem ſpectatorem egi, & peracta ludi
cena demum feneſtras auræ ſpiracula
periebam; galea NB. Alembici man-
it illæſa, in fundo vero vitrum à fri-
gida humidate carbonum foſſilium
aſſum erat fiſſuram & corneum reſi-
lebat in fundo corpus, lunæ corneæ
on diſſimile duarum dragmarum
ondere.

Annon Tonitruorum, Fulgetro-
um, Fulminumque cauſam phyſicam
b hocce experimento propemodum
robatam Mercurii naturæ atque vir-
uti adſcribes? ſed quid Ariſtotelis?
uid Carteſii galli turbá? ab experien-
a hac verifica plane alieni, an non ſub
e, ſemper aliquid hærere, calumnia-
untur audacter? ſed Davus erit ob-
ocutor, ne timeas! quæ quæſo! ſub
mni Cœlo aſſimilanda huicce Mer-
urio aut æquiparanda materia? nul-
, certe nulla! quæ frigidiſſimæ, ca-
diſſimæ, ſicciſſimæ & non minori
radu humidæ inſimul ſit naturæ &
ubſtantiæ, adeoque & omnis ſuſci-
iendæ formæ capaciſſimæ, addere li-
eat atque probare, ſimpliciſſimæ &

eo perfectiſſimæ! Inſuper dic, quæſc
innocentiæ hujus mercurialis vapori
rationem firmam & ſolidam, cum ta
men alias fumus vaporque Mercuri
avolantis toti animali Regno ſit infe
ſtus & cuilibet in ſanguine viven
necem minitet; dirime hanc Vulca
ni ſcintillam, Meteoron maxime no
tabile & ſapienti haud obſcurum; Ite
rumque Novum, Rarum valde, ne
non Veriſſimum, prouti mihi conti
git vigilanti, experimentum non
ſomno dixi.

*Aqua acidula ſimpliciſſima & medicinali hac ſolvitur ☿us omnimode.*

Non plura dicendi tœdio feſſus pe
go: Acidum illud mirificum, Mercu
rium ſolvens menſtruum de novo f
ci, illudque titulo, non re, Radica
lis honorare placuit; non minus mih
medicinale eſt, & præſtat in cert
morborum genere, non ſpecie tan
tum, cœteris cunctis intus ſumendi
medicamentis; Hujus radicalis aci
affundebam novo Mercurio curren
præparato ſufficientem quantitatem
& omnis Mercurius quam ſtatim re
debat tincturam Rubini rubedine
excedentem, hanc per chartam bibu
lam filtratam phiolæ perlongæ man
dabam. Utique & ſimile experimen
tum cum Luna inſtitui, & hanc qu
qu

que, quemadmodum Mercurium, ſolvebat omnino acidum noſtrum nullis relictis fecibus, aut terra in filtro reſidua; auſculta! poſt mediocrem digeſtionem vel etiam radiorum ſolarium æſtu ſolum perpetratam jucundiſſimo ſpectaculo metallorum pars ſupernatat & operimentum format, quaſi ex auro puro eſſet conflatum, & hoc deinde ſuccuſſum, in vitro auro argentoque refertæ Metallifodinæ ſimilitudinem exhibet, qui mirabilis fulgor digeſtione prima peracta omnino diſparet & certe ultro & magis mirandum, quod acidum illud Mercurio ſaturatum (cum luna mihi non contigit) à principio aliquot dies colore rubicundo deſtillet & quidem è perlonga quam maxime phiola in maris balneo, igneque non admodum forti, ipſus ego expertus, pronuncio, teſtor.

Placuit etiam ex Luna & Mercurio facere amalgama, & illud acido meo ſolvere, qui ceſſit in tantum, ut jam ſupra de Mercurio cecini, feliciſſime labos; uno verbo dico: Metalla omnia absque diſcrimine hocce ſolvuntur acido in tincturam rubicundiſſimam. An vero hoc illud aureæ *Hac acidula aquæ ſimplici omnia metalla ſolvuntur in rubedinem.*

catenæ Homeri ſit Acetum, ſine qu
non & quocum omnia, ſubdubitan
mihi ratio eſt atque occaſio; eſt admir
mum utique ſimpliciſſimum & ſecu
dum Homeri tenorem etiam unica pe
ficitur deſtillatione. Unum adhuc occ
ſione hujus acidi memorandum: quan
do calx Lunæ edulcorata optime & ex
ſiccata acido illo irrigatur, rurſus ſt
tim exſiccata & tigillo commiſſa
*Luna cornea.* igne lento Lunam corneam edit, no
autem uti communinis eſt, ſcilic
flavam, ſed fuſcam; Corneæ Lun
alias promittitur ratio ex eo, quo
τὸ alcali tartari tantum acidi, quan
tum ſatis, in Luna ſtupefecerit,
Luna alterata natura, mutataque fo
ma atque figura Saturni ſpecim
reddat, ſed quis hujuſce noſtræ L
næ corneæ reddet rationem? he
enim Lunæ optimæ elixatæ nihil pr
ter noſtrum, Saturni, tamen prole
ex Luna ſibi conformen progenera
tis vices exhibens Acidum medicin
le accedit; inſuper & noſtro ſale a
calico fixo facillime reducitur.

*Mercurius Lapideſcit arte communi.* Ex allatis laboribus & experime
tis mihi tamen multa adhuc reſtit
bat ſatisfactio, idcirco Mercuriu
vivum ſive currentem ultro per via
ſicca

ſiccam torturæ ſubjeci, ut ipſum coagularem, indurarem, & deinde figerem, aurique adinſtar redderem malleabilem cui ſolum facile, ut conjecturabam, reddenda reſtitaret flavedo, & quis ipſemet hujus capax, hanc improbet judicandi & ſubſumendi temeritatem? lepidiſſime ſucceſſit labor; indurabam Mercurium aqua veterana, ſale & æris viridi, qui poſt aliquos dies quaſi lapideſcebat, tandem etiam igni fortiſſimo, ſed vitro fluido tectus ſtabat, ex quo montes naſcituros aureos argenteosque vix ſomniaſſem; ſic phantaſia, ſi non crebro, aliquando tamen Artiſtam ſomniis & monſtris ludit.

Hac induratione Mercurii nondum contentus, alium atque alium inveſtigavi modum, tandem pluviali & incocta alcali quodam ſatiata aqua, ſaporis ſubdulcis & clariſſima ſubmerſi Mercurium, eumque deinde phiola incluſum poſui in digeſtionem; cum vero Mercurium indies in priſtina forma ſemper vivum atque currentem viderem, eum è balneo ſuo extraxi & libertati priſtinæ reſtitui, poſuique in vaſculo terreo polito ſeu porcellano foras ſub dio, poſt aliquot dies feneſtram *Rarum Mercurii Phæno-menon.*

ſtram aperiens conſpexi Mercurium cuticula ſolari ſeu auro ſimili tectum; ego in mirum raptus, undenam illi prodierit cuticula? iſtam bacillo quodam remotam mox in atrum verſam colorem obſervavi; altero die curioſus eundem Mercurium viſitans, iterumque de novo & aureo obductum velo eum offendi, & ſic ſe porro & indies aureo pileo ſuperbum præſtitit Mercurius.

*Sirenia illuſione evanidum.*

Cauſa atque ratio, undenam illa cuticula eſſet orta? mihi nunc permagnæ curæ facta, tandem varie hinc & illinc cogitando & ratiocinando eam eviciſſe & hoc valde me vexans dubium absque Allexandri enſe enodaſſe, me omnino perſuaſum habui; obſervabam enim Mercurium ſub dio ſitum, nimirum Aquiloni è diametro adverſum; quam ſtatim nulla mihi nunc amplius reſtitabat controverſia, quin non ab Aquilone Mercurius utpote magnes attraheret auri ſeminium & tam diu, conjiciebam, donec ipſi ab imperfectione ſua ſolutus aurum Ophirizo nulli ſecundum eſſet factus; amœnis ſed & ſireniis hiſce penſitationibus brevi poſt procella inſperata fecit moram, pluvia enim interve-

niens

niens abluebat & cuticulam & aurum è Septentrione attrahendi virtutem magneticam omnem, ut impoſterum Boreæ expoſitum hunc meum Mercurium nunquam amplius toga aurea, ſed naturali ſua mihi maxime odioſa veſtitum reperiiſſem, quomodocunque etiam inſtituiſſem.

Poſt variam tandem hujus Phænomeni cauſæ & proventus indagationem menti meæ occurrit quæſtio: quid ante hac feciſſem? an non eundem illum Mercurium ſupra citata illa aqua pluviali mea ſubdulci & medicinali aliquando coagulare tentaſſem? an forſitan Mercurio ab illa aqua vel magnetica virtus facta, vel ſaltem ſtimulus quidam inde ei eſſet illatus, quo quaſi utpote à veneno languide tabeſceret & tandem emoreretur? & hercle ſic erat; è veſtigiis Mercurio in eodem illo ſuo vaſculo porcellano propinavi ex priſtina fontina ſive puteo, & ecce! eodem illo momento, idem illud, quod diſparuit ante, apparuit Phænomenon, cuticulam auream clare lucentem conſpexi, cui bacillo remotæ & altera ſuccedebat, & ſic porro indeſinenter remotam cuticulam unam auro adſimilem, ſemper um- *Revixit Phæno-menon.*

 bræ

bræ in morem inſequebatur nova & altera, donec Mercurius omnis ſucceſſive tabe hac conſumtus in pulverem nigrum eſſet converſus impalpabilem.

Super hoc experimento me, Lector Curioſe! inexplicabili rurſus ſuffuſum fuiſſe gaudio atque lætitia facile conjicies, neque tua falleris opinione, nam penes me concluſio firmiſſima erat: Aquam hanc pluvialem incoctam, ſecundum omnem apparentiam eſſe ſaltem conſimilem menſtruo ſive ſolventi univerſali, quoniam utique eſt & ignis & aqua ſimul, ignem naturalem culinarem nunquam ſentiit forma qualitativa & validiſſima ſecundum æquam τῦ acidi & alcali lancem gaudens; ſine remora *Eugenium Philaletam* Anglum, cujus tractatum de lapide Philoſophorum conficiendo mihi ad manus erat, relegebam, qui & ipſe meam opinionem maxime ſuffulcire mihi viſus eſt, nam hujus ejusdemque Philaletæ commentarius mihi hucusque Sigillo Hermetis omnino erat tectus & occluſus & obſignatus, nunc autem per omnia reſeratus, ut & tenorem & ſenſum accuratiſſime jam & pro præſenti intelligere mihi vide-

viderer, quando inſuper quam clariſſime concedit; Non equidem Mercurium communem eſſe materiam lapidis Philoſophorum, at tamen Mercurium communem poſſe & debere verti in Sophorum Mercurium, in maſſam nigram, absque igne, quod hac occaſione & adnuentibus aliis mihi Philoſophis ſcriptis non ægre notavi. *Bernard. de Portu* inquit: *Mercurius nihil eſt aliud, quam ſpiritus mundi corporeus in ventre terræ factus, qui ad ſe recipit facultates omnes, tam animales, quam vegetabiles, & minerales; Geber: laudetur Deus Benedictus, qui creavit Mercurium & dedit ei ſubſtantiam & ſubſtantiæ proprietates, quas non contigit ullum ex rebus in natura poſſidere, ut in illo poſſit inveniri hæc perfectio per artificium aliquod, alii Medicinam eſſe rem unam, vas unum, conjunctionem unam. Lapidem eſſe ex re animali, vegetabili & minerali, rem unicam, variis tantum nominibus ſignificatam. In aqua Sophorum totam conſiſtere artem; Lapidem in rebus combuſtibilibus quæri non debere. Materiam ſophicam eſſe aquam, ſal, aërem & ignem. Opus compleri in uno vaſe, & menſtruum,* quo

*quo, eſſe ſalinum. Sal appellant clavem aperiendi & occludendi. Hac ſua animas metallorum extrahi, corpora ſolis & lunæ ſolvi. Hanc aquam eſſe ignem naturali fortiorem, qui ſolus* (pro Hipocrati; de auro leni igne ſolvendo doctrina) *ſolem compurere potis.* Sic quivis Artiſta novi ex chemico ſpeciali labore exorti Phœnomeni occaſione, & cauſam & ſcopum à Natura hinc intentum, & rationem diſquirens, propria utplurimum ſua phantaſia Directrice luditur, & ad quod corde ſpirat, libere trahitur, præter hanc ratio non exſtat, quare Adepturientes plerique doctiſſimi & hucusque, non autem ultra expertiſſimi æque, ac plebeculæ communis chemicolæ & quivis ipſorum in ſpecie, ſuo & ſibi proprio genio ſive phantaſia illuſus à die in diem ſpe quidem dulci, ſed ſemper fallaci lactari acquieſat; Quis vero hos inter millenos cujusque ſtatus, conditionis & diſtinctionis Adepturientes, quorum quisque ſuæ ſibi ſelectæ materiæ & ex omnibus Philoſophorum Chemicorum ſcriptis probatam fidem, cœterorum omnium ſuam flocci habet, verum à falſo diſcernendo dijudicandoque feret ſententiam? ſive ſit inſtans? SUA IL-

LIS

LIS OCCIDIT VANA, HIS TRANSIT GLORIA MUNDI.

Hac, de qua ſupra dixi, Aqua mea pluviali non tantum, ut exhibui, Mercurium vivum pulveravi, ſed & cœtera cuncta Metalla ☉. ☽. ♀. ♂. ♃. ♄. eodem modo ſolvuntur atque in maſſam nigram reducuntur, inque pulverem ſubtiliſſimum comminuuntur, utique ingruente putrefactione deterrime fœtent; ſic enim omnes ſeptem Planetas ipſemet ego vexavi & absque igne aut ullo ab extra accedente calore in pulverem nigrum & impalpabilem atque rariſſimum combuſſi. Eſt labos & facilis & commodus & ab omni ſpurcitie alienus, tam ſub dio, quam ſub tecto, tam frigore extremo, quam æſtu ſolis graviſſimo fieri poteſt. An non omnimode Novam, Raram & veram maxume Metalla cruda in atram maſſam & pulverem ſubtiliſſimum absque igne convertendi poſſibilitatem atque ſemitam tibi aperui? hæc ſi veſtigia leges, quidni curſu continuato conſecuturus ſis feram, non invideo, voveo.

*Aqua pluviali omnia pulverantur Metalla.*

Me vero & adhuc alium & propiorem & citiorem non autem faciliorem ex poſt, caſu quaſi & fortuito inveniſſe

niſſe modum, eadem illa aqua absque ullo adhibito igne metalla eo, quo jam fatus, deducendi, ſulphurandique inſuper tibi aperio. Multum etiam hæc aqua pluvialis ad medicinam proficit, inſervit non tantum loco menſtrui Alkaheſt, cujus ſuccedaneum adminimum vocari meretur, quocum totius Regni vegetabilis & carbonum tincturæ poſſunt commode extrahi, ſed & eadem illa aqua Mineras, Coralla rubra imo & Talcum rubrum, quæ poſtrema alias cuncta Vulcani incendia, Nimbosque graviſſimos Neptuni vident, ſex circiter horarum ſpatio in oleoſam ſolvit ſubſtantiam atque medicinam, non autem, quod liberrime mihi concedes, univerſalem, ſed ſolum utcunque ſuis præſtantem viribus. Hæcce ergo, quæ hucusque triplici ex horto Alchymico ſparſi, cuncta hercle & Nova & Rara & Vera & Empiria mihi comprobata tibi, Lector Curioſe atque Benevole! ex erecta animi ſinceritate edixiſſe, eoque mihi ipſi feciſſe ſatis acquieſco, ſi autem tibi evenerint hiſce meis Noviora, aut impoſterum evenirent Rariora, communicato viciſſim & vale.

FINIS.

# TOPIARII HERMETICO-CHEMICI
*PARTEM ALTERAM*
PRÆSTAT
# OLYMPVS ASTRALIS,
EX QVO
CEV QVARTO CHEMICORVM
REGNO ELEMENTI PRIMI EX-
CIPIENDI VIRES MODVS AT-
QVE DEXTERITAS
SOLIS,
QVIBVS
PROSPERA DE SOPHORVM
ENVCLEANDO DIADEMATE
RIDET FORTVNA,
CHEMICIS, DVOBVS MAXIME
ET CVRIOSIS GRATIS RVRSVM
EXHIBETVR LABORIBVS
A

IOH. HVMMELIO,
HEIDELBERGA PALATINO, THEOLOGO, MEDICO,
CHEMICO-PHYSICO.

*Francofurti ad Mœnum,*
SVMPTIBVS IO. FRID. FLEISCHER,
M DCC XXXIX.

CURIOSO ET CANDIDO

# LECTORI

SALUTEM PLURIMAM!

UTique Aſtra legere, Siderumque Coeli peragrare Regiones, Philoſophum præcipue chemicum oportere, nemo verè talis ibit inficias; intimum enim rerum corporearum rimando, flectendo nectendoque vinculum, nec non de Prima rerum omnium Materia & exinde deducendo, univerſali trium Regnorum Animalis ſcilicet, Vegetabilis atque Mineralis Medicina, Sophorum Lapide exactiſſime ſermocinando Chemicus hercle & exactum præſtabit Aſtrologum. *Aſtrologiam deſiderat chemia.*

Topiarium noſtrum Hermeticochemicum recluſum in tria, illa cunctis chemiſtis voce ſaltem & ab extra cognita ſublunaria Regna cuivis quidem appe- *Pharmaca pollicetur & opes.*

tenti relevit introitum, è quibus rariſſima non tantum mortalibus deſtinata exhibentur pharmaca, ſed & adinſuper quam plurimi inclytum illum & fama glorioſum illuſtremque Philoſophorum præſtolantur Lapidem, ad quem deportandum chemici nihil labori ducentes invium, omnes ingenii vires induſtriæque intenderunt nervos, exinde opes non tantum Tantalicas, ſed & omnes omnino totius terrarum orbis ſibi compararent ſine exceptione divitias, iisdemque Midam, Croeſum & omnes ævi huius præcellerent Reges; quare Alii, cum ratione poſthabitâ ſua è tribus ſublunaribus Regnis concepta ſpe ſe omnino vidiſſent fruſtratos, inferiora hæcce cunctis Chemicolis vulgaria & aliquantumvis patula deſerere Regna conſtituerunt, ſequentibus poſterioribusque (ut vulgo habetur & experientia) nullo non tempore melioribus innixi penſitationibus, ſcilicet:

*Vulgaria tria Regna verſantur in ſuſpectu.*

Supra dicta tria Mundi huius inferioris Regna, ſi ſobrie & penitus conſiderentur, Lapidem Medicinam univerſalem neutiquam præſtare aut unquam ſibi aut Artifici cuidam polliceri poſſe, quoniam tria illa Regna æque ac quævis eorum partes determinationem ſuam hucusque ſunt conſequuta ſpecificam, ex qua ſoluta rurſus ſuum reducuntur in chaos, per

per conſequens neque totum, neque pars, quodvis tale, quale eſt & eſſe debet, ſpecificum ſe ipſo perfectius, multo minus rerum corporearum perfectiſſimum Philoſophorum de ſe edere aut egerminare poterunt Lapidem.

Lapidem ergo hunc Materiæ magis inſpecificæ ſpirituali & perfectiori ſuam debere originem, duxerunt potius atque neceſſum; Materiam verò ipſam altioris indaginis, & excellentioris multo ſupputavêre proventûs, utpote ex qua ipſamet illa tria Regna & quodlibet eorum membrum ſeu pars ſuum primitus in apricum denominent ortum atque exitum, prouti audit in Epiſt. D. Pauli Apoſt. ad Hebræos cap. XI, 3. ἐις τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Viſibilia facta eſſe ex inviſibilibus, ſive ex iis, quae cerni oculis non poſſunt, vel quæ per ſe in conſpectum externum apparere non poterant. *Ob Lapidis univerſalitatem.*

Porrò & exactius circa Lapidis Philoſophici poſſibilitatem atque proventum argumentati ſunt Chemici; Medicinam nimirum, quam exhibet Lapis, eſſe univerſalem, adeoque tantam poſſidere perfectionem & capacitatem, qua (1) cuncta Mineralis Regni metalla in optimum transmutentur Solem atque Lunam, Lapidesque leves in gemmas, ſecundum notum illud in encomium Iohannis Apoſtoli

 utique

utique Adepti directum canticum, quoin celebratur: *qui è virgis fecit aurum, gemmas ex lapidibus.* (2) Non minus omnes Vegetabilis Regni arbores, flores, plantæ atque proventus brevi tempore in ſummam ſuam quævis produci poſſint perfectionem. (3) Animale quod attinet Regnum, quæ quæſo! Lingva humana mirabilem Medicinæ Lapidis in vita animali pronunciabit effectum? cum incolumem plerumque & continuam perfectamque conciliare feratur ſalubritatem atque vigorem; vel ad determinatum cuiuscunque temporalis vitæ finem mortisque terminum usque; vel prouti iis placet, â quibus Lapidi iſti miraculoſo hominem Adeptum grandævum corniceque reddendi vivaciorem accreditur virtus & efficacia, quin & ultra Neſtoream ſenectutem vitam expandere potis effertur; uti ante aliquot annos, FLAMMELLVM Adeptum Pariſienſem cum ſua PETRONELLA quarti tunc medium Seculi ingreſſum . . â quodam Legato gallico aut eius Secretario non procul ab Hieroſolyma in Palatio quodam viſum & humano ſermone exceptum, fama rumorque ſpargebant.

Ex quo omni non enormiter ſequentem Chemici formavêre concluſionem: Cum Medicina hæcce maxime ſe præſtet

uni-

univerſalem, quin! multo magis Materia ipſa, ſine qua Medicina non ens, aut ex qua & per quam eſt præparanda primordialis, ſpiritualis, inſpecifica atque univerſalis audiet, circa quam duæ ſolummodo volvuntur quæſtiones; *prima:* ubi locorum ergo, quum in nulla trium ſublunarium Regnorum Sphæra reperibilis, Materia illa Sophica quærenda, invenienda? *Altera* quæſtio, cum ſit materia ſpiritualis & univerſalis, quomodo ergo excipienda atque colligenda?

*Alia, ex Aſtrali Regno deſideratur materia.*

Quæſtionem primam ſolvit ASTRALIS cœterisque cunctis præſtantioris atque excellentioris multo & magis ſpiritualis REGNI notitia atque cognitio; Heus! ne & in hac Aſtrali Sphæra hoſpes aut omnino arguar peregrinus, notamque ab hac parte apud chymiaſtros incurram ignorantiæ, etiam quæſtionem alteram ſolvam adaperiendo, quibus mediis Aſtrorum (unde Nitrum univerſale hauriatur & ſpirituale) excipiantur effluvia? quod ſincere, prouti mihi innotuit ipſi, duobus & curioſis maxime proceſſibus Chemiſtarum mundo faciam palam; quorum alter Materiam Elementi primi ex aura tenuiſſimam excipiendi modum deteget; Alter ubi? & quo tempore, quaque tempeſtate & modo materia iam facta formalis ſenſuique Viſus utcunque expoſita è globi

Terraquei ſuperficie in magnâ colligenda ſit copiâ? explicabit; quod collectum *Chemici* huius ſortis ſeu *Aſtrales* cum ÆTHERIS appellitaverint FLORES, non inſulſe feciſſe, exiſtimarunt.

Ne autem quis heic ſibi videatur inſomniis ludi, umbrasque montium chemicorum aſtu exceptas inque aurum argentumve verum obſervaſſe verſas! nam & exhalationes ipſas vaporesque indeſinenter aſcendentes, quamvis forſan Chemicis multum conferre poſſint felicitatis, mittimus, ne NATVRÆ corpora ſenſim ſenſimque reſolventi reducentique videamur obſtare; & quod magis eſt: Non de aqua pluviali quâ tali, multo minus fluviali, neque fontali, aut ſtagnis aut acidulis aquis, aut ſalſis Thermisque aut eiuscemodi aliis, quæ cuncta inconcinna & ſcopo & Aſtrali Regno inepte quadrant, perdemus verba neque otium. Non de Cœli rore generali nec de ſpeciali, ſeu vernali, aut æſtivo, ſive autumnali, neque de hyemali pruinoſo, ſeu ex anhelitu confecto. Non de nive, non de grandine, nec de aliis eiuscemodi Meteoris ſpecificis pro præſenti agemus, quæque cuncta magis ſuis utcunque cultoribus & adoratoribus ſuoque cuiusvis relinquimus valori atque iudicio; Sed de Materia virginea & citatarum & cæterarum omnium

uni-

univerſali ex fonte duplici Matre, quoin utpote in ſua matrice reperitur concepta, hauriendâ, ſinceritate alchemica ſermocinabimur; an autem auribus? an Labore & effectu ſpecioſius digniusque? tu Candide Lector! cum probe ponderaveris, diiudica!

Proceſſus Terram exhibens Adamicam, Nitrum Virgineum, Sulphur embryonatum ex Nimbo fulgetris ſaturato excipiendum.

I.

Tempus atque pronam maximeque animadvertendam huicce materiæ primæ colligendæ tempeſtatem, Vernum nec non æſtivum, usque dum Sol cancrum ingreſſus, ſuosque cum retrogrado iſto Sidere ſuſcepit regreſſus, decidunt atque præſtant; & quidem in Signo contremiſcentis circumquaque Cœli â Tonitru graviori ac continuante nubium fragore concuſſi, ſubque coruſcante grandineque referto Nimbo ab omni plaga & decuſſatim fulgurantis; quod bene obſervandum; tali enim in tempeſtate fulmina concipiuntur Poli, Materia, ſecundum de Cartes Philoſophiam, Elementi primi, utpote in ſua matrice, è qua â Saturno alias concluſa

modo inſequenti & chemica excipiuntur pariergia.

## II.

Parato igitur tibi temporiùs Machinam tabulatam ex aſſeribus abiegnis conſtructam, cuius altitudo ſit pedum circiter duodecim, longitudo quadraginta & octo, inferius ſubſcude proviſam, cuius ope, uſu & auxilio excuſſa â nubibus tonitruantibus fulgurantibusque excipitur aqua atque grando, & in Vas utique eo fini ad modum vinarii amphoram ordinariam Rhenanam continentis ex ligno quoque abiegno paratum atque ſuppoſitum deducitur. Vtraque autem Machina omnino lignea eſto; illa prorſus abiegna; huius vero circuli ligantes permittuntur eſſe betularei, ſed absque ferro conficiantur ambæ; unicus enim è ferro clavus omne tuum opus atque conamen redderet irritum atque inane, nam NB. Materia prima in ſua Saturni obice concluſa Matrice ſe ſtatim ſpecificaret in ferro & quale quale etiam fuerit metallum. Eſt enim hæc materia Virginea adhuc ac inſpecifica, adeoque univerſalis & omnem qualemcunque induere formam apta, ex qua Lapis conficiendus Philoſophorum, corporum perfectiſſimum, prætereaque nihil; quare â principio ad laboris huius alche-

mici

mici finem usque ab omni communi & ſpecifico cavenda eſt Materia imperfectoque quod hercle rationi chemicæ admodum plauſibile nec non conſonum audit.

III.

Porro Machina, de quâ diximus, ſupponenda, vel vas abiegnum ter ſit perterebratum, quodvis foramen rurſus ſuo abiegno proviſum obturamento; item quodvis foramen optime ſit tam intus, quam extùs politum, ne minimum hærea t ſegmenti; infimum autem foramen ſit, aut diſtet latitud nis pollicaris à fundo *einen Werckzoll*; alterum dotrante altius infixum; tertium verò vaſis teneat medium.

IV.

Paratis hiſce, ut deſcripſi diſtinćte, Machinis, uſus quoque innoteſcat chemicus, neceſſum eſt; Ingruente itaque tali, quam ſupra quam clariſſime indigitavi, tempeſtate turbulenta; pro primo expone vas tuum; ſuper iſtud deinde Machinam tuam tabulatam è ſuperiore parte & â tergo domus tecti adinſtar renitentem, quo commode defluere valeat Nimbus atque grando; in inferioris ſive pedis medietate ſit Subſcudi infiſſus ſulcus, per quem aqua ex omni Machinæ parte confluens ſine remora ulla influere poſſit.

V. Vas

V.

Vas hocce aqua tonitruali refertum auſer, antequam exortus poſt Nubila Phœbus ſuis radiis utpote Magneta omnem, quam in Matrice oculis quidem inviſibilem excepiſti, materiem luminoſam attrahere rapereque conatur; repone in locum obſcurum & Sole & Aere privum; Vas tuum operimento abiegno exacte operi atque compreſſe; caveto NB. ne manu aut digito unquam tangas aquam, neque moveas vaſculum, imò duos menſes integros illud immotum atque inturbatum ſinito.

VI.

Exactis hiſce quandoque operimento vaſis leniter & cautim ſepoſito ſive elevato inſpicere poteris, & ex dicta Matrice ſenſim ſenſimque primam generari materiam ſeu Adamicam conſpicere terram; cuticulam Iridis adinſtar & variegatam, porrò auri ſubtiliſſime bracteati aſſimilem, tandem viridem & peſſimum fodinarum ſulfuriariarum redolentem experire foetorem; exortâ in ſuperficie cuticula baculo abiegno in pollicis profunditatem quam leniſſimè, non profundius, ſubigenda, idque ſucceſſive, donec materia in ſuam abierit putrefactionem, aqua vero

lim-

limpida atque dulcis facta, id quod probare, guſtare & videre licet, dum nimirum per foramen ſuperius tantum, quantum ad videndum guſtandumque ſatis, depromitur aquæ, quæ deprompta aqua autem foràs effundenda & neutiquam cum illa, quæ continetur in vaſe, rurſus eſt commiſcenda.

## VII.

Quam primum aqua limpida & dulcis & absque ullo eſt reperta foetore, ſtatim absque cunctatione primum ſive ſuperius ſolve obturamentum vel extrahe (quo neglecto aqua poneret in fundo cryſtalla, quod tibi damno foret) Et ſi effundendo vel effluendo manſerit limpida, alterum extrahe obturamentum, denique & hac conditione poſtremum, cautim tamen & provide, ne materia in fundo ſita limoſa maxime & butyri adinſtar unguinoſa, emortuum videlicet Regis corpus ſive cadaver moveatur, neque turbetur.

## VIII.

Hunc Theſaurum Theſaurorum cum aqua reliqua, ne quid pereat, è vaſis fundo elue in vitreum ſeu vaſculum porcellanum & quam primum maſſa ſubſedit foeculenta, aquam ſupereminentem limpidam, quantum poteris, ſpongia; repo-

ne

ne ſedimentum in loco temperato, quem neque Solis radii, nec pulviſculorum tangant nebulæ, ut paulatim areſcat; deinde piſorum magnitudinis facito globulos, dureſcant; vitro tandem eos includito capaci, inque loco aſſerva temperato.

IX.

℞. Rubri huius & altiſſimo ſomno ſurrepti Regis ℥j.
Aquæ ſuæ ſive Matricis ℔ ß.

Tere corpus Regium ſuper marmore puro, commiſce illud ſua aqua, reponito ipſum vitreo incluſum alembico in hypogeum aut cellam profundam tres dies totidemque noctes; deinde ſuccute materiam, galeato Alembicum, oppoſitoque receptaculo cryſtallino ſive vitreo clariſſimo incubantis gallinæ calorem in Maris balneo prebeto; ſicque deſtillationi ad ultimam committito guttulam; qua peracta receptaculum aufer & claudito probe; Hunc album roſæ Junoniæ Mercuriumque in ſuo gremio continentem ſuccum inæſtimabilem ſervato quam optime atque cuſtodito;

X.

Regis corpus exime, tere ipſum, ut feciſti ſupra, dexterè, rurſum aquæ ſuæ ℔ ß

♄ ſs commiſce; primum hypogeo, deinceps Maris balneo, tandem debitæ ſupraque deſcriptæ ad ultimum & poſtremum halitum usque commendato deſtillationi; idque octies repetito, donec Mercurialis aquæ quatuor in uſum ſequentem aſſervandæ paraveris libras & præſtantiſſimum ſanguinis concreti faciem exhibentem videris Regem;

## XI.

℞. Hunc Regem, porrige ipſi ſitibundo tantum aquæ ſuæ Mercurialis è receptaculo cryſtallino conſervatæ, ut digiti emergat latitudinem, plus ultra affundere caveto; Alembicum rurſum cum materia per triduum hypogeo ſeu ſuo carceri tradito; deinde è balneo deſtillet ſanguinis conſimilis rubicundus floris noſtri Junonii ſuccus, ſicque pergito, ut feciſti ſupra, donec Anima rubicunda Regis omnis deſtillare deſierit, hancque quam diligentiſſime conſervato Animam;

## XII.

Exime regium corpus ex Alembico nive candidius & fixum & diaphanum, ſed & ut certa friabile, cuius tinctura ad album pars una quingentas Mercurii in Lunam optimam transmutare partes, exhibetur; & ſi perfectam ſuam forſitan non obti-

obtigiſſet fixitatem, imbuatur adhuc ſemel aut bis ſupra dicta Lili aquâ.

## XIII.

Tere candidum hoc Regis corpus ſuper marmorem, tantumque ipſi ſui porrige ſanguinis, ne culmi eminendo ſuperet craſſitiem; poſt tridui incarcerationem ex hypogeo reducito & maris tradito balneo, ut ſub galea cœca ſenſim ſenſimque areſcat; id quod repetito toties, donec corpus omnem ſuum imbibiſſet ſanguinem, ſeque ſtitiſſet redivivum atque rubini excedens rubedinem, diaphanum & perfectiſſime fixum, Sophorum lapidem, univerſalem trium regnorum medicinam præſtantiſſimam; inde forſan aut dubio procul de Brontiis facta eſt fabula?

Ne autem ſuper hac mea de te, Candide Lector! bene merendi liberalitate & benevolentia & forte inaudita unquam obſtupeſcas, rogito moneoque, gratis enim accepi communicatum, dono nunc tibi reddidi, eoque animo bono gratoque, quoniam gratis, accipe!

### Alter

Quem pro eadem exigua mercede, gratuito & ex ſincero pollicitus ſum, Proceſſus Pavonis caudam atque alas;

alas; Amphisboenam; AETHERISque ſpectandos! introducet FLORES.

Nullum unquam ſub Coelo ſtudium chemico delectabilius exſtitit, neque, ſolo Theologico exemto, exiſtet; Nullum unquam praeter Amphitheatrum chemicum ſagaciores magisque ingenioſos atque Mercuriales expoſuit Perſonas atque Actores; Comoedia præ caeterarum omnium huius Orbis artium atque profeſſionum ludis deſiderabilis maxime & ſpectatu, imo & ipſo actu iucundiſſima; ſelectiores temporis & otii exhibens fruſtrationes; millena offerens inſomnia atque umbras; inaudita ſæpenumerò cogitationum monſtra legens atque prodigia; inexplicabilem materiarum & unum idemque auri argentive conficiendi ſcopum intendentem diverſitatem expendens; curioſiſſimas iisdemque omnes & inenarrabiles Mundi divitias deliciasque fide Turcica adpromittentes ventilans proceſſus; ſubtiliſſimas ratiocinationes nectens atque ſophismata; uno verbo: Ingenia acutiſſima æque ac in ſuperlativo gradu educens ſtupida; Scenicos ipſos autem introducens aſtutiſſimos.

*Stadii chemici praeſtantia ab indignis obfuſcata, nunquam demta.*

Quorum quidam tantam ſuæ imaginationi intulere vim atque impetum, ut

ſibi de feliciſſima animi ſui ſinceritate omnimodæque utilis ſui proprii factæ abnegationis generoſitate ducant perſuaſum: ſe in omni & per quævis purum putum Dei honorem, nudumque proximi ſui intendere commodum, prætereaque nihil; Viri vero graves chemici duplicem laborum ſuorum non inficiantur ſcopum; *illum*, quo ſummum gloriæ mundanæ conſcendere aſpirant cacumen atque faſtigium; *hunc*, quo terrenis cunctis absque ullo defectu aut decremento ſibi ſatisfiat divitiis; & hi hercle qui ſuis Inſulas fortunatas camposque attigere Eliſæos, exque illis Lapide Philoſophorum, medicina univerſali utpote trophæo atque brabeo potiti coronatique exiſtunt, mihi non poſtremum, ſed ſupremum Sophiæ atque Naturæ inſcenderunt gradum.

Verum enim vero nulla ſub Coelo Ars aut Profeſſio pluribus ac tantis expoſita eſt periculis atque nævis; Chemica hiſce præ coeteris omnibus prærogativis inſul ſe gaudet atque proſtat; Nullum enim unquam ſtudium plures redegit ad incitas homunciones atque in perniciem extremam induxit; quot millia quæſo chemicolarum in tirocinio ſuo ſuas ipſas chemico reſpectu ediderunt animas? qui Mercurio, Arſenico, Coboltis aliisque exhala-

halationibus virulentis vaporibusque impetuoſis in ſophici lapidis honorem miſerrimam ſubiere imo ſibi ipſis adſcivere mortem; taceam in quas permoleſtas & inextricabiles anguſtias atque conſternationes ſuos nunc inter ſacrum & ſaxum forſan adhuc hærentes poſuerint Manes! an non? imo dubio procul inquietos maxime & de vanis ſuis, quos in hoc Soli foro & foco aluerunt, conceptibus atque in irritum ſemper redactis laboribus & curis ab una parte acerbiſſime afflictos, ab altera, quod magis eſt & miſerandum, de abſolvendo adhuc ſuo Particulari aut Diadema regale chemicum promittente Proceſſu univerſali valde & in ipſo Perennitatis foro ſolicitos nec non moerore extremo vexatos.

Chemicum Theatrum adinſuper plurimos præ coeteris callidos humillimaque animi demiſſione & probitate ficta larvatos hucusque ſtitit & exhibuit Hypocritas & impoſtores, quæ hodie & in Aulis Regum atque Magnatum & ubique enotata omnibusque numeris abſoluta, nec non tragicis innumerarum impoſturarum exemplis cumque plurimorum facile credulorum damno egregio & iactura noviſſima confirmata res eſt; quare mirandum, hodiedum adhuc plurimos & impares maxime reperiri Ade-

pturientes, qui quamvis catervatim in ſigno cancri laborent & Tauri, adinſuper & multorum collidie ſanæ mentis acies ab impoſtoribus Sophiſtis, eorumque venum expoſitis montesque aureos adpromittentibus ſcriptis & proceſſibus perſtringi & ad inſaniam usque aliquando dementari conſtat; licet unicuique extra omnem contradictionis aleam ſit poſitum; omnes & quoscunque, qui proceſſus ad conficiendum aurum atque argentum chemicos multoque ſæpenumero ære emendos exponunt venum, eo ipſo ſemet ipſos Codro pauperiores & ex mendicantium atque fortunæ afflictæ, imo & conſummatorum arteque pelasga imbutorum impoſtorum Ordine oriundos coramque decoro peſſime proſtitutos exponere.

*Hiſtoria in Exemplum.* Quod me attinet, â tenera mea juventute, cum Heidelbergæ adhuc incumberem ſtudiis, eiusmodi horrui ineptias atque nugas; novi illo tempore duos cives fratres ſenes atque moroſos, ingenia ſtupida, quorum alter præ natu minore ſingularem ſibi arrogans ſapientiam Ephippiarius, hic tibialium textor erat; ambo alias bonæ fortunæ & opum, ſua vero arte alchemica in egeſtatem devoluti poſtremam; coelibes ambo, quo forte accellerent PhiloſophorumLapidem;

omni

omni matutino longas ex libris fundentes ſeu potius Judæorum more murmurantes preces ſeu pſalmos; interea interrogatio & reſponſio apud ipſos media in devotione ſua non nunquam obtinebat; cunctis ſacris ſeu Eccleſiaſticis interfuere conventibus; quibus hercle integra, de qua procul dubio exiſtebant convictisſimi, vitæ ſuæ nota cauſaque bona atque pietas fixisſimam de certo certius impetrando Philoſophorum lapide perſuaſionem inducere potis erat. Hi fratres mihi, occaſione quadam ferente, abſtruſam ſuam artem atque ſtudium ex obſcuro fecere palam, pariter tertiam ſuæ dignitatis offerentes ſtationem, quo chemicum iſtud Societatis trifolium ſuum ex omni nanciſceretur complementum. Officina ſive ipſorum laboratorium erat valde obſcurum & ſqualidum adeoque & invenuſtum maxime, quoin præter athanorem fuliginoſum atque caſſum tigilli quidam æque ſordidi videre erant; ſed tum temporis ego Logicus ſequentem facile formare poteram ſyllogiſmum: Ambo hi Artifices chemici ſuas in iisdem ſive talibus furnis atque catillis decoxerunt opes, omnique ſua nunc dilapidata pecunia aurum atque argentum commune ad conficiendum Solem atque Lunam chemicam hiante Eri-

 ſichto-

ſichtonis fame quæritant; Ergo aquam ipſis undique hærere, neceſſum eſt; à quo tempore ipſos eximiamque ipſorum artem & omnem horrui chemicam.

*Alchymia Medicis neceſſaria valde.*

Cum autem Alchymia Medico ſuo nomine digno maxime ſit deſiderabilis & non nunquam neceſſaria ſcitu, in quantum ad minimum Medicinæ ancillatur & cuncta, quæ exiſtunt, medicamina, communia quoque ſeu pharmaceutica præbet; Scholam hanc ſive potius Academiam illuſtrem Alchemicam tandem ipſusmet ego ſum ingreſſus; Alumnum me ſtiti & præſtiti diligentem, tantosque edidi progreſſus, ut cunctos, vix dixerim, præter unicum mihi irreſerabilibus centumque & forte pluribus obſeratum clauſtris atque clavibus ſummum equidem, qui univerſalem intrantibus lapidem offert medicinam, conſcendiſſem gradus.

Verum enim vero ab infectione acutiſſimæ illius & crumenæ & vitæ temporali, quin & immortali animæ ipſi infeſtiſſimæ cunctiſque Adepturientibus vix communiſſimæ & in gradu noviſſimo proclivis chryſopeiæ febrisque Argentanginæ periculoſiſſimæ invaſione hucusque ſemper evaſi liber & ingenuus quanquam permittente otio, aliquando

etiam

etiam iubente variorum ex quolibet Regno feciſſem periculum & curioſa hinc inde cepiſſem experimenta, brevi tamen & blandiente mihi prolubio; Coeterum rei medicæ dedi operam (NAM TRIBVLARES ET VERITATI LVCIDISSIMAE INFESTI FRATRES MEI, MATRIS MEAE FILII IRA ACCENSI CONTRA ME DISPOSVERVNT, VT AB IPSIS E VINEA MEA EXPVLSVS ET EXILIO VENDITVS MEDICINAE INSERVIREM (*ad tempus*) ATQVE EXINDE MEO CVM MEIS NVNC PANE VESCERER) atque quo meo exinde recte perfungerer officio, laboravi, ſtudui.

*Criſis in Scriptores chemicos.*

Aſt præter *Theatri chemici* quidem multos adhuc ſortis eiuscemodi perlegi Authores atque Scriptores; Sapientiam autem ex illis non hauſi ullam; variegato mihi videbantur & calamo & ſtylo ſcripſiſſe & ſcopo. Alii herclé iocabundi & exquiſitis Lectores fallendi & obfuſcandi accedunt ambagibus, genuinæ nunquam mentis aut animi generoſi ſuam tradendi communicandive artem aut aliquatenus veritatem confitendi alchemicam. Alii propriam ſuam ſuis ipſismet literulis phraſibusque obſcuris & idiotiſmis detexiſſe ignorantiam & ſtupiditatem, dicier fas eſt. Alii inverecundam animi ſui arrogantiam & faſtum intolerabilem turgida atque inſolenti &

ipſas literas ſacras traducente penna prodiderunt atque ablepſiam. Alios ſe ſcabioſa maxime & hiante lucri cupidine irretitos ſcriptibus ſuis confuſis nec non ſceleſtis aliquando & ſcurrilibus, aliquando è corde blasphemis perinfames frontisque perfrictæ impoſtores, & ſi ſenſu ſuo intellectos addidiſſes manticularios & expoſuiſſe & proſtituiſſe, nemo ſanæ ac ſinceræ mentis refragabitur.

*De Adeptis nemo præter Adeptum iudicare poteſt.*

De Adeptis quâ talibus ſeu veris Eorumque ſcriptis, quam diu non ipſemet ego Ordini ipſorum inſertus exiſto atque Adeptus, iudicare ſeu ſententiam pronunciare meum non eſt neque conveniet; Riſu hercle ſardonio digna eſt arrogata & præcox nimis & magis multum quam ſuperbe geſtiens quorundam ſapientia; quibus tantæ exſurrexere criſtæ, ut numerare, denotare, nominetenus citare Adeptos, eosque â Sophiſtis omnibus diſtinguere adoriantur explicite; Ipſi vero in penultimo, trivialibus Chemiæ aliquando nondum abſolutis ſcholis, ſpagyricæ adeoque ætatis tyrocinio hæſitantes, præter quod ex aliorum libris abſtulerunt & ſcriptis, memoriæque ſuæ mandarunt, rurſusque ſeſquipedalibus verbis, ut ſe ipſos modo extollant, ſublate effutiunt, vacua ſæpe reſtitant ingenia; RATIO ENIM SANA NON NISI EX

REI

REI SIVE CAVSAE COGNITIONE PENITVS CLARA SVVM EDIT ATQVE SERIT IVDICIVM; transgredi autem genuinam hancce decidendi normam atque regulam, ſtupidi & inflati & ingenii inſanientis, nunquam ſanæ mentis, character eſt atque indicium.

Ars interim chemica quantumvis pro cuiusvis ingenii ſui capacitate atque prolubio ludos ſuos Mobilis perpetui adinſtar rotare & nunquam finaliter abſolvi deſiderat; circuitus quivis ſuam & â coeteris diſtinctam exhibet faciem atque formam; ita ut nunquam finem ſuum attingat labor, quem non alii & nullo non tempore inſequerentur novi, quorum unus ſemper præ coeteris ratione materiæ atque modi præſtare operæque pretium ducitur Artifici; & quemadmodum ita quotidie contingit in *Regnis Animali, Vegetabili* & *Minerali*, perinde & ſe habet in *Aſtrali*; *Inexhauſtum ſemper conſtat chemia ſtudium.*

Quoin Aliis Rorem colligere placuit majalem, firmiter credentes in illo præ coeteris cunctis materialibus primam lapidis ſophici contineri materiam; & ne ſe utcunque ſpecificet ipſisque perderetur opera, modis variis, exempli gratia: linteis puriſſimis, vitris, ſpeculis, aſſeribus, lapidibusque; alii veſpera; me- *Varii Variorum circa lapidem Medicinam è Regno Aſtrali eliciendam labores.*

 dia

dia nocte alii; aliique matutino tempore ante Solis ortum legebant eum & colligebant. Alii pruinam, rorem gelu contractam præferebant, autumantes, materiam primam inſitam utpote Saturni vinculis captam & irretitam anatomiæ chemicæ nec non magis parere labori atque ſcopo. Alii excogitavere modum alliciendi aerem & in vitro ſub dio Coeloque expoſito ſereno fixi cujusdam ſalis, Nitri præcipue ope & auxilio excipiendi, ſeque exinde genuinos præ coeteris reputavere Philoſophos, utpote quibus ſolis hermeticam capiendi avem eſſet Ars & Sapientia facta. Alii Nivem; Alii Aquam, priusquam terram tetigiſſet pluvialem artificioſe atque callide excipere contenderunt. Quis vero horum? aut an citatorum chemicorum unus aut alter ſcopo ſuo, Philoſophorum ſcilicet exinde fuerit beatus lapide? me merito dubitantem latet; Aliis aquam tonitrualem fulgetris Coeli gravidam arriſiſſe, vidimus ſupra.

*Ex Aſtrali Regno flores præſtant Ætheris.*

Una verò adhuc reſtitat, quæ mihi ſane præ coeteris cunctis ex hoc ASTRALI REGNO allubuit, & ſi, quanquam non lucri exinde hauriendi Lapidisque Sophorum conficiendi, curioſitatis chemicæ utcunque gratia ſaltem allubeſcit adhuc Materia, quæ ſub curioſiſſimo il-

lo

lo lepidiſſimeque ſonante, quam audivimus ſupra; FLORVM AETHERIS titulo ſe admodum conſiderandam diſtinguit.

*Animum valde eorum collectio mulcet.*

Herclé non minimum inter Meteora æſtumandum! quin præcipuum mihi & omni quacunque ſolertia comitata indagatione & parergia habetur dignisſima; tribus, credas mî, plures in disquirendis, conſiderandis colligendisque Ætheris hiſce floribus traduxi horas atque dies; ex nulla unquam, fateor ingenue, præter hanc, Materia phyſica chemica tantam cepi oblectationem & ſatisfactionem; quodvis enim præterlapſi vices ingreſſum momentum novam utcunque ſpeculationis nec non admirationis opitulabatur anſam cauſamque. Prouti autem in Meteori huius maxime deſiderabilis omnique conſideratione dignisſimi inſpectione nec non contemplatione omnes quoscunque feci progreſſus atque promovi, ab altera tamen parte ſpecialior mihi hucusque reſtitabat anatomia atque labos debitus; Verum equidem otio permittente examinavi illam, at non penitus rimatus ſum materiam, ſed medio in labore, quem ſuſceperam & in ſequentibus tradam, ardenti meo ſcopum ſummum attingendi deſiderio moram fecit negotium medicum; illata itaque mihi deſiſtendi neceſſitate duo-

duobus nunc inde annis integris ab iſto vacavi labore, neque penetrans, quando mihi in futurum proceſſum hunc chemicum de novo reaſſumendi & de integro redauſpicandi occaſio atque otium fiet.

*Phyſicis communicatur labos.* Scias autem, Candide Lector! me non tam cum Adepturientibus chryſopeiæ adoratoribus, quam potius cum Viris curioſis Sophiæ & Naturæ Indagatoribus ſtrenuis mea circa materiam hanc obſervata communicare atque proceſſum; quibus utpote Subjectis dignis cuncta exinde haurienda animi delectamenta, ad quæ ſequentia parabunt ingreſſum, non invideo, ſed faveo.

*Obſervationes.* I. Idem quamvis ſit & ubique & undique Coelum, undique tamen & ubique locorum Materiæ huiusſce phyſices, quam & fluvii ipſi atque torrentes & maria quoque negant conſpectui, copia nulli datur.

II. In principio mearum circa Materiam hanc ſpeculationum duxi firmiter: Influxum aſtralem ſive impreſſionem, quæ noctu præcipue â ſideribus facta, â radiorum Solis ſenſibilium ſplendore, incidentia, reflexione, repercuſſione nec non motu maturari continuo con-

conſpectuique exponi publico; cum vero eadem illa & in locis â radiatione Solis viſibili diſtantibus, opacis, quin & inſolantibus nunquam, reperta mihi eſſet Materia, Eandem quoque in Terræ luſtris, Montium cavernis, Tellurisque centro poſſe generari eodem haut incertum, ſaltem maxime poſſibile duxi; imo ex eiuscemodi correſpondentibus & harmonicis & continuis Solis utriusque & Aſtralis & Centralis Terraquei operationibus Metallorum omnium originem enaſci, eaque exinde porro progerminare atque ſenſim ſenſimque ad maturitatem ſuam provehi perfectam. Ne autem quis hoc & miri & inauditi ducat atque portenti, inſtructionem ſuam capiat quam clariſſimam ab Apoſtolo Petro divinitus inſpirato atque inſtructo Philoſopho, Epiſtola altera cap. III. vers. 5. ὅτι ȣ̓ρανοὶ inſit ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεςῶσα, τῶ τȣ̃ θεȣ̃ λόγω. quod Coeli fuerint iam olim & terra ex Aqua & in Aqua vel per Aquam conſiſtens per Verbum Dei.

III. Qua autem Anni tempeſtate hæcce, de quâ nunc ſermo eſt, â ſola Natura absque ulla arte producta Materia præ coeteris ſit reperibilis? certo certius conſtat: Eam extra Saturni Sphæram, quamvis ſine illius ope aut auxilio

lio nunquam, generari ſemper & ubivis, præcipue menſibus Junio, Julio & Auguſto, poſterior quidem copioſam præ reliquis exhibet & magis maturam materiam.

IV. Luna pernocte & Plenilunio materiam obſervavi & copioſiorem & perfectiorem, item: quando pluviâ veſpertinâ utique & nocturnâ peractâ ſive decisâ Coelum exoritur innube atque ſerenum, & aura interim nebulans ſiderum ſuſcipit effluxus; ſub quo & decidente rore anhelituque Coeli ſubtiliſſimo aranearum innumeræ ſuper arva, prata & virgulta contextæ conſpiciuntur telæ; Nebulâ vero hacce aureo Solis ſplendore atque Auſtro depreſsâ Flores Ætheris copioſiores bellioresque conſpiciuntur; cauſa ratioque phyſica dubio procul alia non erit, quam quoniam impreſſio Aſtralis Nebulæ interventu firmius exactiusque ſuccedit; id quod neque è ſomno nec è ſpeculatione mera ſive phantaſiâ, ſed experientiâ vividiſſimâ teſte pronuncio; Nam ante Triennium ſitum quendam horum florum copia magna ditatum omnino de nudando non mediocrem fecimus prædam, quam mox veſpertina inſequebatur pluvia atque pernox in diluculo ceſſans, cui ſuccedebat ab Aquilone Zephyrus Coelum undique

red-

reddens ſerenum; cum Aurora vero exſurgebat Nebula in nonam matutinam horam circiter durans; Curioſi nos (Ego & meus in hoc opere Collega) quid nobis concierit Pluvia, hancque, ominantes, omne noſtrum in tricas conieciſſe negotium; at prodeambulantes in non exiguam admirationem ſumus rapti, cum ex inopinato eundem, quem veſpera heſterna omni ſuo apparatu exuiſſemus ſitum, de novo & quidem copioſius multo quam unquam repletum exornatumque conſpiceremus; & quamvis tunc temporis noſtrum Trifolium & altero junctum fuiſſet & ternis, vix tamen toto illo die omnes illos de novo & quam celerrime ortos flores carpere atque colligere noſtrum fuiſſet. Ex quo omni porro conjiciebam nec non concludebam: influxum Siderum & impreſſionem quidem contingere noctu, formam autem ſuam nanciſci â Matuta, quæ denuo ſuam maturitatem & venuſtatem â Solis ſortiatur diradiatione.

V. Meteori huius variegati colores in ſummo gradu ſunt floridi atque intidi & perfectæ pulchritudinis, quos neque ars pictoria extollere altius, neque oculus ad extremum invidus ſibi expetere formoſiores poterit; Locum primum ARGENTEA obtinet glacieique Ma- *Meteori colores.*

riæ

riæ conſpectu per omnia ſimilis ALBEDO; hanc inſequitur CAERVLEVS COLOR; VIRIDITAS ſtationem tertiam ſupplet; FLAVEDO autem AVREA rutilaque admirandi huius operis conſpectum ſiſtit gratiſſimum; mox Iridem; mox gemmantes & in Pavonum caudis fulgentes exponentem oculos atque alas; ut uno verbo & breviter dicam: in Sacris literis legimus apud Evangeliſtam Matthæum cap. VI. vers. 28. 29. diſcite, quomodo lilia agrorum augeſcant, & ne Salomonem quidem cum univerſa gloria ſua ſic amictum fuiſſe, ut unum ex iſtis; Hercle & Lilia campi florum noſtrorum Ætheris excedit conſpectus atque Venuſtas, quin non magis coetera cuncta, quæ unquam Curioſorum oculos ſub dio paſcere poſſunt, ſuperabit multum? Quis quæſo! Phyſicus, Chemicus aut Adepturiens hoc in mari atque ſpeculo ſub delectabili iſto conſpectu non inſuper omnes ſeptem ſibi mente vividiſſima præſentare penitusque luſtrare Planetas potis erit? dixi, vidi!

VI. Magis nitidi, ſplendidi & exaltati apparent colores ſuper fluentis dotrante altis & pro fundamento harenam durentibus albam; Aqua enim talis non tantum auro optimo atque argento capellato incruſtata quaſi & omnino conſpici-

ſpicitur obducta ; quamprimum autem leniter movetur aqua iſta, fundum petit, quæ ſupereminuit cruſta in innumera divulſa partes & bracteolis obryzi conſimiles lemniſcos in ſpectaculum jucundiſſimum decidendo exhibet atque præſentat.

VII. Poſtquam vero Ætheris hi flores ſunt collecti, confuſi & rurſum effuſi, omne ſuum, quo antea ſuperbiere, ſplendorem amittunt, atque in fundo terram ſpadicæam, mollem & vix impalbabilem nunc arte porrò & ulterius inſtruendam, deducendamque ponunt atque elaborandam.

PROCESSVS IPSE.

I. Conſulito æſtiva tempeſtate Cœlo ſudo atque ſereno ſpirante Euro aut Aquilone Aquas Eremi non ſtagnantes putridas, ſed boni & optimi potius odoris certumque terræ tractum in deſerto rigantes, ſeque in latum, longum, non autem in profundum extendentes rivulos, quos ſi conſpexeris variegatos & mirum in modum per omnia, ut ſupra depinxi exacte, ſplendeſcentes, nullus dubites, ibidem AETHERIS carpendi FLORES cum occaſione opportuna & tempus eſſe præſto.

II. Curato aut utcunque libuerit tibi, iubeto tibi confici inſtrumenta ad negotium hocce requiſita; cochlearia videlicet colligendæ huicce Materiæ accommoda ex ære puro, id eſt, rubro cupro; hiſce tuos flores colligito ad modum, quo Mulierculæ lactis demunt cremorem, aſſervantes deinceps collectum illud ad conficiendum ſuum butyrum; ſimiliter quando cremoris hujus phyſici collecti quantitas tibi videtur ſufficiens, infundito eam in urnam æream, non autem intus ſuperductam ſtanno, ſed puram putam rubram; reponito eam in cellam ſive alium valde humidum locum; ſinito eandem illic, triginta dies totidemque noctes; quotidie vero maſſam ſemel ad minimum aut bis agitato bacillo; tandem deſtillationi è maris balneo ſuper lento igne ad ſiccitatem reſidui uſque committito.

III. Exime remanentiam peſſimum redolentem foetorem, eamque ſuper marmor tere, quo facto, cum aqua ſua rurſus deſtillata commiſce, novæque tandem committe deſtillationi, quâ peracta, reſiduum iterum iterumque ſuper lapide tere, idque repetito octies, octava enim deſtillatione demum, ut exhibetur, bonum atque fragrantem edet odòrem.

IV. Ni-

IV. Nigerrimum nunc erit reſiduum, quod ignis vehementia è retorta ſuum reddet ſanguinem ſive animam rubicuudiſſimam quam optime aſſervandam.

V. Maſſa remanens in retorta ſive pulvis, adhuc octies ſuper lapide terenda cumque aqua ſua deſtillata commiſcenda ſemper atque è retorta abſtrahenda eſt, donec Materia, quanquam ſit friabilis, candida tandem diaphanaque in Lunam fuerit facta Tinctura.

VI. Hoc autem & idem corpus ſuo ſanguine octava ſive cohobatione nona ſaturatum atque vivificatum præſtare Medicinam Univerſalem, qui lapis appellatus Philoſophorum, creditur; En! totum nunc atque fideliſſime tecum communicavi proceſſum, ſi veró alium & meliorem & exactiorem hocce pro ære emendum exoptes, huicque præficere velis, in vanum atque irritum tuum utique mihi videretur factum atque conamen.

Id inſuper Candide Lector! quod induſtris patiensque laboris circa hos AETHERIS FLORES me docuit experientia, ut iam ſupra feci, non minus porro fideliter tradam; ſcilicet: TERRAM ESSE

OMNINO MERCVRIALEM, quod in Vulcani didici ſchola & ſum expertus; AQVAE RESIDVVM BITVMINOSAM ATQVE VISCOSAM EXHIBERE MATERIAM SALE BONO ACRIQVE REFERTAM ACETO ultra ex iis experiri ad hunc usque diem fui impeditus, remora ipſummet meum, quod nunc fungor, eſt officium Medicum.

Non verò hæcce, quæ ſcholæ huius eliminavi arcana, cuilibet illoto dicta vellem Adepturienti, ſed (1.) Curioſis ſtudioſisque Naturæ indagatoribus & Academiæ Hermetico-chemicæ membris requiſitisque quam optime inſtructis qualitatibus. (2) Otioſis, non autem ab animo, ſed ab arduis manuum ſuarum laboribus, illorumque ſorte, quibus terra ſpinam carduumque profert, quo pane ſuo per totum vitæ ſuæ temporalis curriculum in vultus ſui ſudore veſcantur cottidiano. (3) Spagyris maxime, quique unicum ſolidumque ſuum ducunt officium: Hermeticam ſtudere chemiam. (4) His præcipue, quibus nulla unquam temporis imminet iactura, præter quod ab operationibus exſolvunt chemicis. (5) Illis utique ſolis, qui immunes â cunctis victitant curis, quo in præcipua genuini & vocati Hermetis diſcipuli conſiſtit diſtinctio, & qualitas & requiſitum, quod ſolùm veræ atque ſolidæ ex Alchymia experientiæ promiſſione

one gaudet. (6) Quorum in prolubio eſt, diſcere Sapientiam & â Natura ipſa omnium ſine exceptione inſtrui Magiſtra. (7) Quorum ſcopus & intentio *non* ſeculi huius opes, quas iuſto peſſundant dominio; *non* honos aut gloria mundi, quam minus flocci, deſpicantes pendunt, ſola potius vera Deo in Chriſto liberrimaque fidei obedientia vivendi ambitione niſi; *non* concupiſcentia prava carnis, non oculorum duci libidine, aut quibusvis cæterum vanis ævi huius deliciis; ſed ut ab una parte Creatoris rerum, quotquot ſunt, omnium Sapientiſſimi amplitudinem ſolumque adorandam Majeſtatem, & quamvis nobis ſit incomprehenſibilis nec non infinita, in quantum tamen Natura offert modisque millenis teſtatur & indefinitis, cognoſcere diſcant; à parte vero altera ſe ipſos creaturas omnimodamque ſuam â Deo Ter Optimo Maximo dependentiam debitamque agnoſcentes obedientiam, ſuam cum timore ac tremore, quamvis libertate plena animique alacritate nec non voluntario enixiſſimoque Charitatis ſtudio conficiant ſalutem, philip. 2.

Coeteri vero omnes & ſinguli, quotquot ſunt, citatis hiſce neutiquam inſtructi qualitatibus atque fortuna, quique auri argentique ſolum maſſas atque montes

montes anhelantes chryſopeiſtæ reperti ſunt chemicolæ, hiſce inquam! meis, quæ protuli obtulique, minime contenti mihi & irreverenter reſponſabunt: Quid? neque è Topiario tuo hermetico-chemico recluſo, neque ex hoc Olympo, quem nunc feciſti palam, Aſtrali aurum argentumve in quantitate, ut deſideramus valde, qualitateve fabricandi ediſcemus artem neque modum; Nec autem & his emolumento deſim, Illis omnimodam â Chemia abſtinentiam, ex ſincero ſuadeo; diligentem potius in ſuam profeſſionem aut officium aut opificium aut commercium impertiant operam atque ſtudium, & PHILOSOPHICE VIVANT; id eſt: ſobrie, probe & ingenue; portione utcunque ſua contenti; nec quicquam amplius aut aſpirando ultra; quo in ſtatu hercle Croeſo, Craſſo Tantaloque ditiores erunt pecunioresque, & ſi NB. præterea cunctas mundi huius adſpectabilis præ altioribus, quæque exaudiuntur perennia, contemnere didicerint vanitates, omnem ſimul & quamcunque cultoribus adoratoribusque ſuis relinquere ſciverint fatuitatem, EXACTISSIMOS VITA PASSVQVE PRAESTABVNT PHILOSOPHOS; Hæc hercle generalis eſt atque perfecta ſolique Philoſopho digna Imago atque Character! tantum de Chemia ejusque præſtantia dixi!

# TOPIARII
## HERMETICO - CHEMICI
*PARTEM TERTIAM*
EXHIBET
# ΠΑΝ
# ΤΩΝ ΠΑΝΤΩΝ
ὑποτιθέμενον.

Hoc eſt:

Mirabile â Deo Creatore Sapientiſſimo
ſubſtitutum per cuncta

# DOMINIVM.

Idemque & Ipſum
In SPIRITVVM æque ac CORPORVM
Mundo repertum
prouti axioma ſonat:

*Quod eſt ſuperius, eſt ſicut quod eſt inferius,*
*&*
*Quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius.*

Quodque
Et Theologis & Phyſicis & Quibusvis Θεοδίδακτοις
*ex ſincero*

OFFERT


# IOH. HVMMEL,

HEIDELBERGA PALATINVS, THEOLOGVS, MEDICVS,
PHYSICO-CHEMICVS.


---


*Francofurti ad Mænum,*
SVMPTIBVS IO. FRID. FLEISCHER,
M DCC XXXIX.

# SOLI DEO IN CHRISTO SIT LAVS HONOS ET GLORIA!

*Pio a candido Lectori Salus!*

SVmmum aut nullum, docet Rex Salomo, τῆς φύσεως ſeu Rationis ſanæ conſcendere faſtigium, monens: DIC SAPIENTIÆ, SOROR MEA ES! ET AFFINEM PRVDENTIAM VOCA, Prov. XI, 4. uti enim Creationis & Univerſi Conſervationis ſcopus nullus eſt, aut eſſe potuit alius, quam τὸ bene & inſequuturum perfectum, imo & perfectiſſimum eſſe omnium, quotquot ſunt & exiſtent, creaturarum, præcipué Hominum, quibus in cuncta & ſuper cuncta ſtatim â principio factum eſt dominium, perfecta atque conſummata ſalus & beatitudo; ſic ab altera ſive Creaturarum rationalium parte ad ſupra dictum Creatoris ſumme perfecti ſcopum atque benigniſſimam Dei Conſervatoris obtinendam intentionem, SAPIENTIA certe requiritur ſolida & vera PRVDENTIA, quæ maſcula, & ſplendida Animi generoſi dexteritas oppoſitam ſibi habet Stultitiam, ſtultus enim ex decreto quaſi

*Homo ad æternam eſt creatus beatitatem.*

 delin-

delinquit ſemper & adverſo navigat amne; quum è contra ſapiens nîl faciat fruſtra, quin & Prudentiæ ſcuto inſtructus mediis competentibus intentum ſuum atque fixum non poteſt non attingere ſcopum, à priori Creatorem Deum, à poſteriori verò την φύσιν Naturam, rerum omnium imitans Matrem atque Magiſtram.

*Via dux Errabundo ad Sapientiam Phyſica.*

Quare ſola Phyſica, â quâ omnes dependent Doctrinæ, Scientiæ, Facultates & cœteræ artes, veram confert Sapientiam, quod præter ignorantem nemo obloquetur; nam cum & ipſa φύσις â Sapientiſſimo ſolique Independente rerumque omnium extra Ipſum Conditore atque Perfectiſſimo Ente ſuam ducat & agnoſcat originem atque proventum, eo ipſo etiam Phyſica ſuos ſcholares academicos de verâ & genuinâ imò ſummâ inſtruere Sapientiâ ſatagit; de Amore videlicet filiali, timore obedientiâque Deo Creatori, Conſervatori & Benefactori ſuo debitâ aſſidueque præſtanda, cui, cum Lux acceſſerit Evangelii â Phyſica reverenter & ex condigno agnita comprobataque nec non allaudata completam in Chriſto & per Chriſtum, Eumque per omnia ſequi iubens, refert SAPIENTIAM, utpote qui eo fini ipſe Naturæ Dominus ſectatoribus ſuis eſt factus Sapientia conferens Juſtitiam, San-

ctita-

ctitatem & Redemptionem plenariam Laudatus in ſeculorum ſecula Amen!

Annon τῆς φύσεως ſchola illic eſt appellata Metaphyſica, hic hyperphyſica audit, & ſic porrò pro ratione doctrinæ eiusque varietate, quâ varios ſuos inſtruit Alumnos, encomio ſemper novo deſcribitur? Eſt utique & Phyſica ab alterâ parte eadem ipſa rerum cœterarum omnium, quæquæ ſint, fidelis Informatrix atque Magiſtra, quare ventum nixatur captare & cum larvis pugnare ſuſcipit, qui Sapientiam diſcendi cupidus, eam in alia his in terris præter Phyſices ſchola quæritat.

*Quatuor Regna chemica ſub Acidi & Alcali vinculo concluſa & referanda.*

TOPIARIVM noſtrum RECLVSVM CHEMICVM, ut & OLYMPVS ASTRALIS, ambo hercle de ſcientia naturali ſeu potius de Chemia Hermetica Phyſices Con- & Subrectrice dixêre brevibus multa, dum quatuor, Animale ſcilicet, Vegetabile, Minerale nec non Aſtrale, quibus cuncta præter ſolum & merè ſpiritualem mundum, continentur Regna, ſcitu profecto & Sapientiæ acquirendæ ergo percontatu maxime neceſſaria expoſuere palam. Topiarium præterea & Naturæ illud utriusque vinculum ſeu lance æquâ conſiſtens indigitavit ACIDVM & ALCALI utpote diſſertationis noſtræ inauguralis emphaſin atque nervum, cui heic loci addere duximus

 æquum;

æquum; quod in τȣ̃ ALCALI atque ACIDI & utriusque adæquato & æquilibri conjugio non tantum τὸ bene & melius, imo & totius Animalis Regni eſſe fluctuet perfectiſſimum; ſed & Regnorum Vegetabilis & Mineralis, quin & ipſius Aſtralis, adeoque & omnimoda naturæ exteræ perfectio, id quod ſcire, noſſe aut ſapere non niſi ex Phyſica vivide & ad convictionem demonſtrari poteſt.

*Omnium diſciplinarum Mater Phyſica.* Quo in puncto omnes & ſingulæ, quot quot ſub Cœlo dantur Artes, Doctrinæ, Facultates & Profeſſiones Phyſicam, â quâ in ſolidum dependent, Heram ſuam agnoſcere tenentur atque Magiſtram, quoniam adinſuper ejus tam ratione ſuæ ipſius exiſtentiæ, quam rerum omnium reſpectu ſunt rationes ſolidæ & reales & ſemper invictæ, quæque ipſa ſuam, quæ cuique debetur, confert legitimationem id eſt: valorem legitimum nec non ſtabilimentum; Imo quod amplius eſt, Ipſa Theologia, quanquam circa Dei Triunius cognitionem & merè verſetur ſpiritualia, non tamen Phyſices averſatur Auctoritatem, ſed potius ipſa METAPHYSICA appellitari concedit. O quam & quantam Scriptura ſacra tam Veteris quam Novi Teſtamenti Phyſicæ concredat Authoritatem atque prærogativas, nemo ſanæ mentis negabit! uti enim apud

apud omnes ingenio præditos atque judicio extra omnem controverſiam poſita res èſt, nimirum: SACRÆ SCRIPTVRÆ DIVINITATIS CRITERIA DIIVDICANDA SOLI RATIONI SANÆ VTPOTE LAPIDI LYDIO ESSE EXPOSITA ATQVE COMMISSA; ita utique & multa ſunt Sacræ Scripturæ loca haud ſecundum literam, minus multo myſticum ſenſum intelligibilia, quæ hinc & inde ſolam & omnimodam ſuam â Phyſica experimentali chemica mutuantur illuſtrationem; Hem! tantâ pollet Phyſica auctoritate!

Quis quæſo! adinſuper vocabit in dubium: CVNCTA ABSQVE EXCEPTIONE SENSVVM EXTERNORVM, ET QVOTQVOT NATVRA EXTERA IN QVATVOR SVPRA CITATIS REGNIS EXHIBVIT, EXHIBET ET EXHIBERE POTEST, OBIECTA ESSE ATQVE PRÆSTARE MERAS FORMARVM SPIRITVALIVM ET INVISIBILIVM IN DISTINCTVM TANTVM CONSPECTVM ET INDIVIDVITATEM PRODVCTARVM VARIEQVE EX ET IMPRESSARVM IMAGINES ATQVE FIGVRAS? Herclé Phyſica non ſolum in hoc demonſtrationis puncto & neceſſitate auctoritatis ſuæ ſplendidæ edit ſpecimen, ſed & ipſa Theologica utplurima Sacræ ſcripturæ loca atque veritates ſub obſcurationis tegumento abſcondita prorſus & intelligibilia, absque Phyſica experimentali chemi-

*Proxima Theologiæ amica Phyſica.*

ca interprete latent; per conſequens quivis ſanæ ſobriæque mentis non difficulter ſubſcribet: omnes & ſingulos Eccleſiarum noſtrarum Paſtores, qui ſe Theologos, Doctores, cœtuumque ſuorum iactitant faces atque lumina, Angelos, Ductores, Ieſu Chriſti nuncios ſeu Apoſtolos, tamen in plurium Sacræ Scripturæ locorum explicatione eſſe occœcatos & errabundos Planetas, ſi non inſimul â Phyſica experimentali chemica ſuam ceperint inſtructionem illuminationemque, quâ deficiente ipſos & fundamentales Theologiæ ſæpé latebunt veritates, inde eſt: quod plurimorum circa ſacras literas facta, ſi non efficta Commentaria atque illuſtrationes non tantum hinc inde claudicent utrâque, ſed inſulſiſſima & Phyſices Alumnis faſtidioſa maxime & ubique proſtent.

Quædam tantum exempli gratia allegare lubet: (1) Gen. 3. verſ. 22. 23. *Et, dixit Iehovah Deus: ne manum ſuam extendens accipiat etiam de fructu Arboris Vitæ, ut comedat victurus in ſeculum; emiſit eum Iehovah Deus ex horto Hedenis ad colendum terram.* (2) Cap. VIII. verſ. 21. *quumque odoratus eſſet Iehovah odorem illum gratum, dixit Iehovah cum animo ſuo, non iterum maledicturus ſum &c.* Quicunque in ſacrificiorum myſterium & omnem ſanguinis mandatam profuſionem absque

Phy-

Phyſica commentari ſubſumit, ludos facere videtur, & ut Talis aliqualis ſibi ipſi ſapiens atque doctus ſuam utcunque palliaret ignorantiam, invaluit mos & conſuetudo; exinde innumeras ultra omnem neceſſitatem pro cuiusque prolubio aut phantaſia ſimilitudines, ſymbola, hieroclyphica & in exterioribus mere umbris atque corporibus ſe utplurimum definientes ſeu terminantes fingendi typos antityposque. (3) Exod. 32. verſ. 20. *Moſes accipiens vitulum illum, quem fecerant, exuſſit igne, commoluitque, donec minutus eſſet, diſpergensque in ſuperficiem aquarum iuſſit bibere filios Iſraëlis;* loci huius ſenſus utriusque nodum omnes ſub Cœlo ſcientiæ, Artes & Opificia, ſolâ exemtâ Phyſicâ experimentali chemicâ, nunquam ſolvent.

Sunt utique & loca, quæ ſalutis fideique concernunt fundamentum, quorum explicationem rurſus Phyſica partem magnam tradit, præcipuè quæ de purificatione totiusque hominis agunt Sanctificatione, utpote quâin totum Redemtionis rotatur abſolviturque negotium, ut Ezech. 22. 19 -- 22. *ait Dominus Iehovi: eo quod affecti eſtis vos omnes ſcoriæ, idcirco ecce! ego vos ſum congregaturus intra Ieruſchalaima, ut congregatur argentum & æs ferrumque ac plumbum & ſtannum in catinum,*

 *ſuf-*

*ſufflatur circa eum ignis ad fundendum; ita congregabo ira mea & exſcandeſcentia & collocans illic & fundam vos, nam comportabo vos & ſufflabo circa ignem furoris mei, ut fundamini in medio ipſius urbis; ut funditur argentum in catino, ita fundemini in medio illius, & experiemini, me eſſe Iehovam effundentem exſcandeſcentiam meam ſuper vos, & Mal.* 3. verſ. 2. 3. *Quis autem ſuſtineat diem adventûs eius? aut quis conſiſtet, quum apparuerit? nam ipſe quaſi ignis conflatoris & ut ſmegma fullonum eſt; ut ſedet conflans & purgans argentum, ita purgabit, filios Levi, defoecans eos velut aurum & argentum, ut ſint Iehovæ, qui offerant munus iuſte,* conf. Ierem. 6. verſ. 27. 28. 29. quæ loca modum, quo purgatio ceu ſanctificatio ad ſacrificium Deo in Chriſto placidum peragatur, quivis integræ ſobriæque mentis, explicare, concedet. conf. 1. Cor. 3. verſ. 13. 14. 15. Matth. 3. 11. Marc. 9. 49.

*Inſtruit & de Regenerationis negotio Phyſica.*

De Regenerationis beneficio legimus inprimis Ioh. 3. verſ. 3. 5. Matth. 3. v. 11. de hac delicata & abſtruſa & myſterioſa maximè materia, cum officio publice adhuc eſſem functus Eccleſiaſtico, vix aut ne vix quidem facere verba mihi erat permiſſum, quoniam circa regenerationis ſaltem modum populum docere à meis nunquam dependebat viribus, voluntate

aut

aut arbitrio, pergrande mihi ſemper erat myſterium; ſecùs ac ſtolida inſulſaque autumat cohors, neque publicè docere verecundatur: Regenerationem hominis ſenſim ſenſimque peragi & ſucceſſive, quanquam ignorari nequeat, heic infantis in conſpectum publicum generandi vel nati obtinere ſimilitudinem; qui tamen neutiquam per partes ſeu membratim (exempli gratia: hodie pes, heri brachium, cras manus, perindie auris, poſtridie naſus, poſt menſem oculus & ſic porro, quod & naturæ & rationi ſanæ audiret adverſum) ſed inſimul totus homo, quanquam adhuc infans, ex ſpiritu tamen & anima & corpore conſtans, ſecùs foret monſtrum, naſcitur & quidem à capite ad calces usqué ad Parentum ſuorum ſimilitudinem; Eodemque modo Regenerationem Novive Hominis procedere productionem, neceſſum eſt; qui utique â nativitate cœleſtis ſui Patris referat imaginem, non ab una aut altera ſolúm parte, à cœteris autem Diaboli, mundi, carnis, ſed qui per Regenerationem illam divinitùs factam Dei factus filius, Deo per conſequens Creatori benigniſſimoque ſuo Regeneratori etiam totus quantus ſit ſimilis, Eiusque veram exhibens imaginem, cui nihil reſtitet omnino, quam ut, quemadmodum recens natus infans, indies creſ-

cat

cat adoleſcatque in virum ac enixo ſancti-moniæ ſtudio ad plenæ Chriſti ſtaturæ per-ſtet menſuram, quare ſcriptum eſt: *Qui facit peccatum ex diabolo eſt; omnis qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit, quia ſemen eius in ipſo manet, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt, in hoc manifeſti ſunt Filii Dei & filii diaboli*, 1. Iohan. 3. verſ. 8. 9.

*Incurva quorundam de regeneratione fidei ſpecies.*

Ex quo omni ſatis & abunde liquet, quod ſe ipſos fallant inſaniantque omnes, qui ſe aut alios extra hæcce & ab Apoſtolo Iohanne allegata criteria iactitant regenitos; certé neque blaterando neque ſcribillando Regenerationis definitur myſterium; inde eſt, quod quidam & multi tantum propriæ ſuæ imaginationi ſeu phantaſiæ fecere impetum atque iniuriam, ut ex eâ ipsâ hanc incurvam fidei extorſerint ſpeciem, quâ ſe perſuaſos urgent de communione cum Deo & ſalute ipſis certo certius futura ſecundum hominem internum, quem novum fingunt & regenitum, toti quanti verò adhuc ſeculi huius vanitatibus imbuti atque deliciis, omniumque ſuorum, quæ indies absque reſiſtentiâ ullâque pœnitentiâ reſipiſcentiave patrant, peccatorum indulgentiam & remiſſionem (abolitionem ſua vita deteſtantur & actis) è ſomno ſuo credunt, utique non amplius hominem in ipſis internum,

ternum, ſed externum modô peccare, huicque ob interioris ſanctimoniam ſua, quæ continuant indies, non imputari peccata, vitia ſceleraque; quæ via latiſſima ſpacioſiſſimaque illi, de qua Matth. 7. verſ. 13. 14. ſtrictæ & anguſtæ oppoſita â multis hodie teritur, quibus omnibus & ſingulis nihil ſolidi reſiſtat atque ſani, quam quod propriâ ſuâ illuſi phantaſiâ ſe ipſos modo (aliis autem & cœteris extra ſuum verſantibus conſortium cunctis fronte maledicunt inverecunda) ſanctos Dei habeant filios & non obſtante ſecuritate, quam fluctuant, ſuâ carnali, ſe Chriſti peculium reputent Sacerdotiumque regale.

Cauſa hercle huius prolapsûs non videtur alia, quam quoniam ab unoquoque vero Chriſti ſectatore virtuoſa illa atque divina requiritur atque deſideratur qualitas, quæ veræ Sanctimoniæ audit ſtudium, & quidem ſecundum ſpiritum & animam & omnia corporis membra, perque omnes Individui actiones paſſionesque, quam ſolam & unicam Dei communionem in Chriſto obſignantem legem ſenſus carnis horret atque fugit; ut autem & conſcientiæ compeſcantur morſus, ficulnea illa in ſecuritatem carnalem temerè nectuntur folia; Paulus θεοπνέυςος Domini noſtri Ieſu Chriſti Apoſtolus *Prolapsûs cauſa!*

neu-

neutiquam exterum hominem â lege excipit Sanctimoniæ, ſed multo magis ad illam obſtringit, aiens: *colligite* (nimirum ex operibus) *vos ipſos peccato eſſe mortuos, Deo nunc in Chriſto Ieſu Domino noſtro viventes; ne ergo amplius regnet peccatum in* MORTALI CORPORE VESTRO, *ut auſcultetis ei in* CVPIDITATIBVS CORPORIS; *neque ſiſtite membra arma iniuſtitiæ peccato &c. quemadmodum membra veſtra ſiſtistis ſerva impuritati & iniquitati ad iniquitatem, ſic membra veſtra ſiſtite ſerva juſtitiæ ad Sanctimoniam.* Rom. 6. verſ. 11 -- 19. conſ. 1. Cor. 6. v. 13. 15. cap. 9. v. 25. 27.

*Oratores Eccleſiaſticos Phyſicos eſſe oportet.*

Herclé! ſi errabundi modo diſcerent â Phyſica, converterentur facile brevique ſani fierent homines; quâ & præſenti occaſione duo adhuc pro hac vice ex Sacra Scriptura allegare loca lubet, ſuper quibus multi ſunt commentati, quorum nullus; quos & doctiſſimorum audivi atque legi, aliter, quam cœcus de coloribus; ſunt autem loca illa: (1) Matth. 20. verſ. 2 -- 16. de operariis in vinea, quibus unicuique Dominus ſuum ſine diſtinctione dedit denarium, quamvis alii per totum diem, alii unam tantum fuerint operati horam, quare illi adverſus Patrem familias murmurarunt quibus reſpondit: abi, volo huic ultimo dare, ut tibi (2) Luc. 16. verſ. 9. *facite vobis amicos ex*

*ma-*

*mamona iniuſtitiæ, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna illa tabernacula*; nullus unquam Commentatorum ſuper his locis mihi fecit ſatis, allucinati, quotquot audivi aut legi, ſunt omnes; æquali obſcuritate locus ſupra citatus, Gen. 3. verſ. 22. 23. explicatur; quamprimum hæc tria nobis enodaverint, obiiciemus alia, quæ ἐν παρόδῳ dicta, ut in theſi pergamus, ſufficiant; Quamvis utique Eccleſiarum Miniſtri ſeu Præcones è Theatris ſive Cathedris ſuis (ubi ob interdictum nulla unquam ad bonum ſervandum ordinem omnemque avertendam confuſionem, obtinet interlocutio obiectiove) horis ſtatutis plurima ſæpe immoderata & pro textus ſui exigentia de Cœlo, Cœlis, Aqua, Igne, Terra, Tonitru, Fulgure, Nubibus, Meteoris ac Phœnomenis &c. in irritum faciant atque declament verba, quibus ipſis ſuis concionibus, ſuis utplurimum imo plurimam ſemper partem è rudi Minerva progenitis Auditoribus atque Paganiſmo divinum videantur oraculum; ſi autem ſana mentis acie & pio colluſtratur pectore: Docta peroratio ex libris phyſicis, prouti ſæpe oculis & mente ipſi cœci ſunt Oratores, ſiniſtriſſime intellectis audiat ſpolium atque rapina; ſub quo habitu alienis pro tempore opibus divites atque docti ſuas Scenicorum more & pro

ſala-

ſalario abſolvunt horas, quibus finitis una cum Comœdia & Sapientia & Eruditio & Doctrina adeo ſæpe omnis delinquit, ut extus & intus poſtrema ſtupiditas regnet.

*Medicina nervus Phyſica.*

Medicis Phyſica experimentalis chemica præprimis & cœteris neceſſaria eſt ſcitu & deſiderabilis maxime, abſque hac enim Ars medica ex omni claudicat, quin nomine indigna, imo nulla eſt. Interim tamen & ex gratia illos, ne ad nos offendant, excipiamus Machaones, qui adeo, & enixiſſime præſcriptis Magiſtrorum ſuorum confidunt verbis, tantoque eorundem Receptis ſunt addicti juramento, ut τὸ ſcribere Recipe multo ducant commodius ſalubriusque quam chemico utcunque ad inveſtigandam Naturam inque proximi ſui emolumentum mediocri deſudare labore.

*Juriſpru-dentia fulgor.*

Ævi noſtri præſentis Juris - conſulti Phyſicam experimentalem chemicam haut multum deſiderant, eâque forte magis & omnino in ſuo foro carere exoptant, ſufficere ſibi perſuaſi: ſi modo partes ſuas litigantes utcunque conciliare litesque pro præſenti quovis & ſibi ipſis meliori convenientiorique modo & pro brevi aliquando tempore componere ſtudeant ſatagantque; quamvis interea & eo ipſo Tria illa Chemicorum Regna, Animale,

Ve-

Vegetabile & Minerale ſæpe numero ex jure ſuo gentium ab ipſis acerrime impugnentur, nullam tamen & prorſus nullam (an ex aviditatis effectu ſeu alia & ſingulari, nec non abſtruſa animi generoſitate?) dictorum Regnorum chemicam admittunt anatomiam, contenti potius gregibus vivis atque integris ex Animali Regno Armentis; Terræ fructibus ſine exceptione trituratis modo è vegetabili Regno acquieſcunt; & è Regno Minerali aurum atque argentum cœteraque Metalla aut in maſſa aut ſolidis ſibi vendicant monetis, adeoque contra omnem rerum iſtarum deſtructionem, putrefactionem & in primam materiam reductionem quam venuſtiſſime & in optima forma proteſtantur.

Mathema Philoſophiæ ramus, cujus decus & complementum non inepre vocaveris Mechaniſmum; hercle non ex una ſolùm & altera parte Phyſices requirit indaginem; Chimæras ipſimet Authores ubi ſi fingunt refinguntque quam plurimas, quarum utique rationes & phyſicas cauſas non aliorſum, quàm ex proprio cerebelli ſui deducunt fonte atque demonſtrant, quæ phantaſiæ, ſi minutiſſimæ ſæpè realitatis participarent umbrâ, innumera plura forte exinde cum ſuo PUNCTO mathematico & MOTU, quem *Deſideratur à Mathematica*

 Theo-

Theologis objicere nixantur, celerrim (quo utroque, quoniam ipſis in rerum natura è gradu ſuperlativo non datur, & quouſque tanta ſua cœcitate manſerin correpti in æternum & nunquam dab tur ſummam Dei Ter Optimi Maximi per fectionem in dubium aut controverſiam vocare non erubeſcunt) omnem ratio nem ſanam atque intellectum, non au tem irrationalitatem aut propriam ſu am phantaſiam inſultantia, & abnegan tia exinde monſtra generarentur atque prodigia; Heus! ſi cornutus inſtaret: ATQUI verò ſub omni cœlo in toto habitabili Orbe, vel in omnibus, quos Deus fecit, Mundis (è quibus noſtrum ſyſtema, quoad Deus Creator potuit: præ cæteris perfectum, ſeu perfectius multo dicimus) nihil eſſe aut fieri, quod non ſit ſive fiat ab omniparenti Natura aut per ipſam, licet aliquando Naturæ videretur adverſum. ERGO & omnis noſter Mechaniſmus ex omni parte Naturam ipſam ſuam appellitat Matrem atque Magiſtram; Huic limitando ſubſumtum reſpondemus: Utique ſic ſe rem habere omnem & oportere, præter quod indemonſtrabiles & Rationi & Phyſices adverſæ chimeræ mathematicæ iſtæ tamdiu phantaſiæ otioſæ vapor audiant & fumus, donec cunctæ gyris ſuis abſolutis in fictitias ſuas, è quibus mathematicè pro-

mana-

manavêre Monades redibunt atque vanitates, tuncque rationi ſanæ utpote tales, prouti decet, dirimendæ ſubjicientur, & eo ipſo, dum ſuperlativum negant gradum, inter in ſuperlativo gradu cenſenda non entia numerandæ ſemper ſemperque erunt.

Tres præcipuè ſunt Facultates, quarum quæque ſuo ex Phyſica gaudent trophæo. THEOLOGIA dicta metaphyſica ſeu naturalis; quoad Sacroſanctæ Triados atque incarnationis τῦ λόγυ myſteria factasque immediatas divinitus revelationes atque oracula Hyperphyſica dicta. MEDICA utpote, quæ absque Phyſica experimentali chemica foret non ens. JURIDICA; omnis enim Juris-prudentia verè talis ſuper jure Naturæ & Gentium eſt fundata; exinde omnes, quotquot ſunt juridicæ ſuum omnem ortum ducunt leges, quæ cunctæ rurſus lege divinitùs factâ probantur atque confirmantur; ita ut Juriſta contra τὴν φύσιν aut Naturæ leges patrans, contra Deum ipſum, ejusque, quam per Moſen, Profetas, Chriſtum atque Apoſtolos ſtitit, legem patraſſe atque peccaſſe meritò ſit cenſendus condemnandusque; Quæ heic citatæ tres celebriores in hoc mundo ſecundum Phyſicam ceu Naturam inſtructæ Facultates, genuinas in ſe Sophiæ, Phyſices

*Phyſices tres ſunt, præcipuæ Filiæ.*

& utcunque hyperphyſices exhibent Filias, quibus cœteras cunctas artes doctrinasque falſas eſſe ſubjungendas, quivis ſanæ mentis ſubſcribet; Unaquæq; etiam trium harum facultatum τȣ̃ ALCALI atque ACIDI, Naturæ quodvis pro debito naturantis informantisve gerit inſignia, quibus ſuus unicuique nervus officium atque virtus quam compendioſiſſimè offertur.

*Theologiæ inſignia ſunt Vrim atq; Thumim. Sanctimoniâ ſancita.* THEOLOGIÆ eſt commiſſum pectorale ſacrum, quoin, per quod & è quo URIM relucebant & THUMIM Exod. 28. Quis quæſo! ambiguum ducat? Deum eo ipſo & relucentibus ex pectorali ſacro URIM atque THUMIM indigitaſſe, docuiſſe & à ſuo exigiſſe populo id omne, quod decet & perfectiſſimæ ſuæ ſanctitati atque juſtitiæ decorum eſſet atque dignum, cujus Virtute & Majeſtate ſuos jubeat ſeriò, ut quilibet ſe ſuo Creatori, Conſervatori atque Domino ita præſtet conformem; ut non ſibi ipſi, ſed ſoli, à quo per omnia dependet, Deo, & quidem ex intimo obligationis ſenſu, vivat; ſit adeoque ſanctus atque juſtus, quemadmodum & quoniam Deus ipſe eſt ſanctus & juſtus, quod & Phyſica dictat & expreſſum patefactumque omnibus Dei inculcat mandatum Lev. XI. 44. 45. Cap. XX. 7. 8. Idem ſanctimoniæ

aman-

amandatur ſtudium 1. Pet. I. 15. 16. ſicuti is, ait Petrus: qui vos vocavit, ſanctus eſt, ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini &c. confer. 1. Joh. 3. 3. id quod reſtituta cum Deo per Chriſtum communio requirit, ſecundum Joh. 17, 21-26. Salvator ipſe hanc accuratiſſimè ſervare legem jubet, ajens: *Eſtote igitur perfecti, uti Pater veſter, qui eſt in Cœlis, perfectus eſt Matth.* 5, 48. quo ſenſu, Chriſtus nobis factus eſt Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio & Redemtio, ut fiat, quod ſcriptum eſt: qui gloriatur, glorietur in Domino. 1. Cor. 1, 30. 31.

Secùs ac cœca Prædicantium turba juſtificationis nudam & ab extra accedentem prætendunt imputationem; imputatam ipſusmet ego non nego juſtitiam æque vero & ſanctimoniam; prouti alter Adamus JEſus Chriſtus Dei Filius totus quantus nobis in Redemtionis perfectæ lytrum datus eſt; nam quatenus in & per ipſum ſalvamur, vel æterna nobis adjudicatur ſalus atque cum Deo, à quo eramus deſerti, communio, eatenus totus Chriſtus cum toto gratiæ & ſalutis negotio imputatus & donatus nobis eſt, & cauſa ſalutis æternæ, quotquot in ipſum credimus. eique auſcultamus; De merito autem improbamus, ſi non ſtupiditatem, dementiam ſaltem illorum, qui clamant:

*atque Juſtitia, ſuo ſenſu imputativa.*

mant: Chriſtum ejusq; prærogativas nobis modo per actum forenſem, adeoque *Exemplũ.* imputari ab extra; quo quidem à Magiſtratu ſalva Parricidæ alicujus fama cauſæque concivibus obtrudi poteſt integritas, eo ipſo autem intimum cordis & animi inquinamentum notaque in naturam perverſitas ac radicata protervia non emendatur, multo minus tollitur, quare ab unoquoque concivi bono atque honeſto extus & in corde, quoad vixerit, habetur nequam & parricida, quanquam id ipſum tonantibus nemo ob Judicis interdictum adoriatur pronunciare verbis.

Aliter certè res ſe habet in Poli foro, ubi fixa τῶν URIM atque THUMIM claritas intimas animi penetrat propenſitates, omnesque cordis heic loci imperſcrutabilis angulos, atque abſtruſiſſimas imaginationum detegit latebras; ubi hercle mera imputatio facta ab extra absque Sanctimonia eſſentiali realique juſtitia, ut fumus à vento paleaque ab igne abolebitur prorſus; Et ad quid? quæſo! cuique emolumento? Si Chriſti ſapientia nobis imputaretur ab extra, in inguine interim nos eſſemus & maneremus ſtulti ſeu inſipientes? ſi ipſius Juſtitia nobis imputata per actum forenſem, nos autem in viſceribus impii, injuſti, fœde-

risque

tisque gratiæ indeſinenter contemptores? quid juvat, Ipſe Sanctitas, nos verò à capite ad calces usque inquinati peccatis? Ipſe Redemtio, nos verò nullo non tempore iniquitatis mancipia atque Satanæ, Tenebrarumque vinculis ſemper irretiti captivi? herclè non tam ſtupiditate, quam dementi malitia potius inſigniti accedunt ejuſcemodi imputationis vanæ Patroni & Declamatores, eaque ſibi ipſiſmet & auditoribus ſuis velificantes; quibus nulla unquam ſe totos quantos Deo in Chriſto offerendi & ſacrificandi, adeoque ab omnibus ſine exceptione peccatis actionibusque abſtinendi vitioſis, ſecundum Spiritum, Animam atque copus, charitatisque, quæ cuncta in ſe complectitur præcepta, legi vivendi intentio unquam fuit aut erit, quem in periculoſum flagitioſæ ſuæ operibuq; carnis contaminatæ vitæ gyrum & alios quoſcunque abripiendi, commodamque hanc ſuam, ſed latiſſimam & ad triſtiſſimas perennitates ductitantem viam aliis & præprimis ſuis auditoribus inculcandi operam & otium ſibi multum literis verbisque faciunt; Quæ Doctrina mundi præſentis quam plurimis lauta carnique gratiſſima res eſt, ex qua, quamvis ſuam indies laute paſcant carnem, cunctisque ſuis laſcivis concupiſcentiisque pravis omnes dediſſent fræno, tamen aut in ul-

timo mortis articulo, aut brevi ante, aut poſt obitum ſtatim imputatam ſibi Chriſti vendicant juſtitiam, id eſt: jus ad vitam æternam, ſeu communionem cum Deo, quo tamen absque vera Sanctificatione perveniendum eſt nunquam, Hebr. 12, 14. Huicque vento ob carnis ſenſum ipſis proſpero, ſed herclè fallaciſſimo ſe totos quantos pleniſſimaque fidei ſuæ atque fiduciæ vela remosque committunt; ſuaque ſic Aſtra fatalia eunt.

*Fides.* Juſto autem & æquo arridet magis multo fides, eaque animi probi convictio, quâ Deus ore atque corde ab omni dolo & fraude agnoſcitur alienus, crediturque ſummè verax ac ejuscemodæ ſeveritatis, ut, quod homines ſuas creaturas rationales jubet, velit etiam fieri actu; Seriò herclè Sanctimoniæ Juſtitiæque mandat ſtudium, uti ſcriptum eſt: qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & qui eſt ſanctus ſanctificetur adhuc, Apoc. 22, 11. hoc eſt: ſuam ſemper cum timore ac tremore conficere ſalutem, Phil. 2, 12. ſuamque vocationem & electionem indies efficere firmam, quod non niſi continuato Sanctimoniæ, Juſtitiæque peragitur ſtudio, 2. Pet. 1, 10. Heic certe neque ficulnea folia, neque vanæ ſuæ imbecillitatis excuſationes, nec & palliativæ ac phantaſticæ de Chriſti ab extra imputata

aut

aut imputanda juſtitia obtinent perſuaſiones; Vel ſonum tenoremque edet hominis intus & in cute nequam, cui honorus quidam ac optimæ notæ vir ipſam ſuam imputare vellet bonam cauſam famamque & honeſtatem, quod & Nebuloni ipſi foret abſonum ridiculumque, & cæteri adſtantes cives, viri illius juſti inter labia riderent ſimplicitatem, omnis enim & ſemper illi aliena juſtitia palliato tenebrioni apud quoscunque, qui ipſum norunt, deficiet fides. *Exemplũ.*

Imputata adjudicataque eſt Abrahamo ſua, quam æqua bilance eſt repertus Juſtitia; ſua, inquam, ipſi & neutiquam alterius, operibus bonis ſinceroque Dei amore animata ad Juſtitiam adjudicabatur fides; Sanæ adeoque & ſobriæ mentis res hæc eſt atque Doctrina: Chriſtus Dei filius nobis non tantum imputative ab extra, ſed reapſe actuve factus eſt Juſtitia, Sapientia, Sanctificatio & Redemptio, RE IPSA, inquam, & ACTU, ut prægrande hoc ſalutis, quod ipſe ſolus diduxit, & adhuc indies diducit negotium, vivide ſentiamus in nobis, non per vanam imaginationem & phantaſiæ ludibrium ſterilemque & fucatam fidem; ſed effective actu & vivide: Nos ad Deum per Chriſtum eſſe converſos, eique nunc ſecundum ſpiritum, animam *Non imaginaria, non phantaſtica, non anceps, ſed vera talis eſt & ex convictione vividiſſima juſtificatio.*

& corpus & omnes noſtras actiones exiſtere ſacrificatos, utpote qui non nobis aut mundo aut cupiditatibus pravis, ſed ſoli Deo vivimus in Chriſto; non amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος ambulantes, quoniam lex Spiritus vitæ, qui eſt in Chriſto JEſu, nos liberavit à lege peccati & mortis; quique adeo Chriſti ducimur Spiritu, eoque nos duci lubentiſſimè, prouti fas eſt & officium obedientiæ à nobis exigit, permittimus, ſequimur. Rom. 8.

*Ex gratia equidem, ſed & vividiſſima decet de juſtificatione noſtra in & per Chriſtum convictio.*

Id quod omne etiam ſoli Deo in Chriſto referimus acceptum, cujus immerita gratia omne, quodcunque in noſtrum expediit bonum; nosque fecit ſalvos, prouti Chriſtus ipſe vera & unica eſt ſalutis noſtræ cauſa, & omnibus, quot quot ei obediunt, quemadmodum Ipſe obediens factus eſt ſuo Patri; per quem valemus omnia, qui nos corroborat, Chriſtum phil. 4. quem cognovimus, credimus & ſentimus in nobis nos ſancto ſuo Spiritu per omnia regentem, gubernantemque, quare vividiſſime exiſtimus convicti: Chriſtum nobis eſſe factum Sapientiam, Juſtitiam, Sanctificationem & Redemptionem; Totum adeoque nobis eſſe imputatum Chriſtum atque donatum, omnesque ejus prærogativas nobis eſſe adjudicatas, & ſanguinem

nem Ejus nos ab omnibus ſine exceptione purgare peccatis; non vacuâ ſic opinantes opinione, ſed ex eo certiſſimi convictiſſimique, quod actu ambulamus in luce, ſicuti Ipſe in luce eſt, quo ex fundamento Genus vocamur Electum, Sacerdotium regale, ſancta gens, populus Dei, ut virtutes prædicemus Illius, qui nos vocavit è tenebris in admirabilem ſuam lucem, qui miſericordiam ſumus conſecuti, quorum adeoque nunc poſtulat officium, ut ab omnibus abſtineamus, quæ cuncta adverſus animam militant, peccatis, ſanctamque & honeſtam inter gentes vivamus converſationem, 1. pet. 2. qua vitæ integritate, non opinione ventosâ atque vanâ, hanc ſalutis nobis per Chriſtum acquiſitæ certitudinem indies adhuc & à momento ad momentum ſuffulcimus, obſignamusque, *per veram nimirum & infucatam fidei obedientiam, ſeriamque in ſanctimoniæ ſtudio perſeverantiam*, cujus virtute & efficacia nos mundo & mundus nobis eſt crucifixus, ut pote qui, quamvis adhuc in his degimus terris, æternæ tamen felicitatis, ſponſæque Chriſti Hieroſolymæ ſpiritualis portum, ſub pedibus calcantes Lunam, aſpiramus, bene agnoſcentes: coram Deo in Chriſto nil quicquam valere præter ſolam creaturam novam gal. 6. hisceque

paſſibus

paſſibus lucidiſſimæ τῶν URIM καὶ THUMIM charitati atque ſcopo appro-pinqvamus indies; quo ipſo dignamur ab Ango, qui ſolus, ut aperiret li-brum ſolveretque ſigilla, dignus eſt in-ventus, creari Reges & Sacerdotes, ut regnemus in terris apoc. 5. nobisque ſint commiſſa Fœderis inſignia & pecto-rale portare ſacrum ad plenariam usque reportatam, Victoriam, quare Sanctus atque Verax & qui clavem tenet Davi-dis, ait: *Qui vicerit, faciam eum colum-nam in Templo Dei mei, novæ Hieroſoly-mæ, quæ deſcendit è cœlo à Deo meo &c Nomen meum novum* apoc. 3. *Hic* utti-que *Tolerantia Sanctorum eſt, hic qui ob-ſervant præcepta Dei & fidem Jeſu* apoc. 14. de quibus ſolis prædicatur: *beati qui præſtant Ejus præcepta, ut ſit eis jus in arborem vitæ & per portas ingrediantur in civitatem* Apoc. 22.

*Acidum & Alcali utriusque mundi te-net & ex-hibet bi-lancem.*

Quibus ſatis ſuperque eſt evictum prætenſas to eſſe, bene & perfectum eſſe, cunctarumque creaturarum æqui-librium conſtituentes τȣ̃ ALCALI atque ACIDI proprietates eſſe easdem in mun-do ſpirituali ac in corporali, in illo exæquato modoque ſpirituali præſta-& vocantur URIM atque THUMIM Lumina atque Jura; Profecto myſteri-ſæ & ambæ bilance æqua ſibi indivul-

arctiſ

arctiſſimeque connexæ, tenorem novæ Hieroſolymæ atque baſin figentes FORMÆ atque Perennitatum Potentiæ, quas lingua effari labiisque pronunciare, præſens noſtra ad id iners prohibet conditio; Quis Theologorum unquam ad hunc usque diem omni ſua Eloquentia, Eruditione atque doctrina inenarrabile hocce Myſterium, quanquam clariſſimo, quo potuit, patefactum charactere, enunciare aut explicare potuit? Nullus certè nullus, hallucinati ſunt omnes, quot quot de eo ſcriptitarunt; Eſt autem Idem in mundo ſpirituali, quòd τὸ ACIDUM & ALCALI in corporali, Formæ hæ in utroque ſuo herclé perhibent atque præſtant cunctarum rerum non modo eſſe, ſed & tò bene atque perfectum eſſe, *illis* in mundo ſpirituali, quæ in ſummam evehuntur & exaltantur beatitudinem, *his* exactiſſimum cònſtat omnium ævi hujus rerum temperamentum atque ſeries.

*Phyſica Meditrinæ gloria atque decus.*

Meditrinæ Diadema, Fulgor & Gloriæ Thronus eſt Phyſica experimentalis, hac enim Medica veſtita Facultas atque inſtructa præ cœteris reliquisque cunctis Artibus tenet palmam & egregie fulget; τὸ eſſe enim atque ſubſiſtere non tantum cunctarum trium Regnorum Creaturarum penitiſſime ſcrutatur atque ediſcit,

ediſcit, ſed & τὸ fieri creaturarum in futurum prævidendo prædiſcit, ex quo Spagyrus Hermeticus non mediocrem Sapientiæ Prudentiæque coſcendit gradum, inſpiciens præprimis omnium viſibilis hujus mundi ſine exceptione rerum creatarum infirmitatem & inconſtantiam; quâque fiat, cur quævis dum ſummam ſuam obtigiſſent venuſtatem, atque, quem in natura extera potuere, attigiſſent vigorem, in ſuum, ſi non repentino, ſenſim ſaltem ſenſimque abeant decrementum interitumque poſtremum? quare maximum, de quo ſacræ teſtantur literæ, & ſapientiſſimum ſui ævi Philoſophum Salomonem Iſraëlis Regem ſæpenumero legimus exclamantem: O Vanitas Vanitatum, omnia ſub cœlo Vanitas!

*Unde generales ſeculi præſentis ærumnæ.*

Certè ita eſt! id quod nemo, præter qui cœcutit in Sole & lumine deſtitutus eſt naturali, non videt: cunctarum creaturarum conditionem ſecularem eſſe miſerrimam triſtiſſimisque viciſſitudinibus expoſitam atque ſubjectam, eamque conſiſtere proprie in τὸ fieri atque perire; in τὸ creſcere & decidere; in τὸ apparere & diſparere; externa gloriari forma atque figura & ſqualeſcere; laudari & vituperari; amari & deſpici; imo maxima mundi Majeſtas ipſa ſubito ſic

tranſ-

tranſit atque gloria nec non in extrema terminatur miſeria atque faſtidio; Regna ſic & Reges Heroësque ſolvuntur & evaneſcunt, cujuscunque ſine diſtinctione rei extera à momento ad momentum quaſi in evanidum abit forma & à ſe ipſa in nauſeoſam maxime degenerat mortem atque perniciem, primùm per inſenſibilem ac paulatim viſibilem, ſucceſſive omnes quinque ſenſus ad malaciam atque extremum horrorem uſque ferientem ægerrimeque afficientem putredinem, quain illic ALCALI, hic ACIDUM ſuum evidenter prædominium ludunt, adeoque absque controverſia liquet: *unamquamque rem per id idem per quod in ſuum eſſe & perfectionem ærumnalem eſt conſtituta, deſperatiſſimam atque totalem ſuam quoque perpeti demolitionem, atque exitium, ſique dixeris, & reſtitutionem denique perennem!*

Ut autem, quæ ſunt de ACIDO & ALCALI dicta atque dicentur, eo intelligantur evidentius, ſeqq. inſervient hypotheſes. *Acidum & Alçali rerum omnium Director.*

1. ACIDUM atque ALCALI omnium tam in mundo ſpirituali, quod ſenſu intelligendum accommodo, quam in viſibili AGERE DIRECTOREM SUBSTITUTUM.

2. ACI-

2. ACIDUM ignis, ALCALI vero aquæ ſuſtinere vices, quibus duobus in uno elementis omnis omnium creaturarum vertitur cardo, quippe ex iſtorum commixtione motuque omnes omnium rerum viſibilium abſolvuntur ſpecies atque figuræ.

3. ACIDUM caloris atque putrefactionis, adeoque & doloris motor unicus atque cauſa.

4. ACIDUM agit in ALCALI & vice verſa ALCALI infeſtatur ACIDUM utrumque Hermaphroditus.

5. ACIDUM in calidis, in frigidis dominatur ALCALI.

6. Quamvis autem ACIDUM in quibusdam, in aliis dominetur ALCALI, neutrum tamen ſuo proprio jure absque altero exiſtere poteſt, foret enim nullum nulliusque virtutis.

7. ACIDI enim præſtantia ab ALCALI conceditur paſſivo, rurſusque ALCALI prædominium atque robur ex ACIDI paucitate eoque abſorpto promittitur.

8. Utraque ACIDUM & ALCALI in æqua conſtituta bilance neutro unquam in exceſſu peccante aut defectu, formam exhiberent conſtantiæ,

tiæ, perennitatisque conſtituerent vinculum. *Ergò & Sophorum lapidem Medicinam pro Paraclyſi.*

9. Quæ autem conditio perfecta in omnibus & cunctis viſibilis mundi hujus creaturis ob continuum earum tam ad cujuscunque accrementum quam decrementum inſtitutum motum neutiquam obtinet, neque ob actiones reactionesque ad mundi finem usque continuas obtinere poteſt. Ergo ex utriusque ACIDI atque ALCALI æquo connubio iniquove, omnis in mundo corporum concordia ſeu firmitas, diſcordiave oritur ſeu deſtructio.

10. Ignis vero vehementia corpora in æquam conſtituentur perennitatis bilancem, quando Cœli cum ſtridore peribunt & elementa æſtuantia liqueſcent & ſolventur, Terraque & quæ in ea ſunt opera exurentur, 1. Pet. 3. utique & creatura rationalis homo ſecundùm hominem internum ſuum quaſi per ignem conſequetur perfectionis gradum, exſtat enim: cujuscunque opus, quale ſit, ignis probabit; Si cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet, ipſe tamen ſervabitur, ita tamen ut per ignem, 1. Cor. 3.

*Huncque non inepte agnoſcit dominatum Vulcanus.*

Non officit, ſi & Vulcani ſævitia aut ignis vehementia rerum contingit & poſtrema certo certius continget deſtructio; nam ACIDUM hocce, quamvis ſit crudeliſſimum vehementiſſimumque, rerum tamen reſolutionem & celeriorem reddit & gratiorem; ipſa tamen eademque ſemper deſtructionis manente cauſa, ſolumque in hoc vergente diſcrimine: viam ſiccam ignis diritate tritam eſſe celeriorem puriorem-que; viam verò madidam, quæ non niſi fætidate peragitur deterrima, eſſe ſpurcitie refertam, diutinam & admodum, imo ad extremam impatientiam tardam & eousque perdurantem, donec corpora non tantum diviſa, deſtructa & in faſtidioſam reducta ſunt putredinem, ſed donec etiam ſubtiliſſimæ corporum atomi in primam ſuam rurſum ſunt reſolutæ materiam, nullique impoſterum deſtructioni exitiove ſubjectæ exiſtent: ſed omne τȣ̃ ACIDI atque ALCALI expanſum, ſive tunc in humida ſive ſicca ignis concipiatur forma, permeare & ſine noxa aut periculo penetrare valent.

*Marti ipſi infeſtiſſimus, quod Magnetis vio-*

Quod autem & firmiſſimum utriusque Acidi & Alcali, & quidem ſpiritualis magis conjugium, Vulcani violentia aut rumpatur facile, aut ſolvatur prorſus, aut è domo ſua exteriori craſſiorive fuge-

tur

tur; docet Notiſſimum hodie & prægrande illud Mundi non exigua erga Martem charitate flagrans, Ferrumque attrahens complectensque Miraculum, MAGNES; Myſterioſus hercle & natura mirifica inſtructus lapis, qui præcellenti ſua, quin & præ cæteris cunctis Regnorum Mineralis & Vegetabilis rebus ſingulari atque vix non ſatis penetranda qualitate Terra Marique indefinitis inſervit modis commodisque, nec non præcipuas homuncionibus adhuc indies offert prærogativas. MAGNES hercle, quod virtute ſua Polum arcticum inter & antarcticum æquitatis ſuſtineat bilancem, nemo præter ignorantem ibit inficias! Aſt quid proprie id ſit, quod in- ex- & per MAGNETEM agat? Quodque ſuum NB. rectâ ſolum expediat lineâ? Curque una ejus extremitas verſus Arcticum ſolum; NB. alterum vero ejus polare punctum Antarcticum verſus vergat Polum? nondum ratione evidenti decidentique eſt evictum; nulla adhuc unquam inter plures, quas legi & audivi, phyſica mihi obtinuit ratio deciſiva. Eſto ergo ACIDUM noſtrum & ALCALI æqua conjunctum bilance, quod exinde probare conſtat: quoniam igne mediocri ſive prunarum, ACIDO adeoque mediocriter crudeli omnis MAGNETIS ſiſtitur & tollitur virtus, quæ certe ratio, ab hac

*lenta teſtatur deſtructio.*

parte Phyſica eſt & evidentiſſima. Alia autem erit quæſtio, an Vulcani utpote heic dominium ludentis ACIDI immanitate omne MAGNETIS deglutiatur ALCALI? An vero magnetica illa officioſam ſuam juſtiſſimamque æquitatis bilancem exhibens virtus expellatur radicitùs? hæc non difficulter decidenda quæſtio eſt ex cærulo ſulfureoque adeoque viſibiliter evadente aut avolante fumo ſive SPIRITU; quo enim facto, MAGNES ſive lapis quam ſtatim omni ſuâ privatus exiſtit virtute, æque ac NB. contingit cum extero organico noſtro injuria aut violenti ab extra, aut modo quovis ab intra deperdito corpore, quare internus homo & ſpiritualis ſuum hocce agile alias & vivum, nunc exanime & omni activitate deſtitutum derelinquere cogitur habitaculum.

*Quis Acidum idem & Alcali corporum ad reſurrectionem non credat Magnetem?*

Quod domicilia aut habitacula homuncionum attinet extera, corpora ſcilicet ipſorum craſſa & organica eousque, ut dictum, deſtructa, per ipſum & eundem illum (qui objectorum corporeorum ratione atque cauſa hoc in viſibili mundo non poterat non virtutem ſuam qualitativam, ut ad eſſe corporumque bene eſſe, ſic ad ipſorum detrimentum & interitum virus ſuum aculeumque deſtructivum atque mortife-

rum

rum ad conſummationem usque exercere, Mundo verò ſpirituali vinculum ſociale & amicabiliſſimum nec non perennis & nunquam inæqualis, ſed conſtantiſſimæ audit naturæ.) utpote MAGNETEM in futura omnium corporum reſurrectione ad formam ſubſiſtentiamque reducentur perennem, cum hoc ſolùm, ut ſacræ literæ docent ſanaque ratio dictat, diſcrimine: Alios reſurrecturos ad vitam æternam, τῶν URIM atque THUMIM charitatibus & Gloria illuminatos inveſtitosque; Aliòs verò reſurrecturos ad damnationem, quique adhuc & tunc omnes τοῦ ALCALI atque ACIDI exacerbati violentiam atque virus formidoloſiſſimas inter Eumenides tenebrasque Phlegetontis atrociſſimas perſentient, ſic & eousque utpote in ſua tortura ſive ergaſtulo fluctuantes, donec forte ſucceſſive unus aut alter, aut quidam aut cuncti, quod me proprie latet, ex alto apoſtaſiæ ſuæ expergefacti ſomno, ſeque ex horribili hocce atque ſtygio criminum ſuorum carcere educi præſtitiſſent dignos aptosve; prouti Chriſtus Dominus, Os ipſum Veritatis, ait: Ἀμὲν λέγω σοὶ, οὐ μὴ, ἐξέλθης ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην, Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc, usquedum reddideris ultimum quadrantem Matth. 5, 26.

*Præcipua omnium Creaturarum Homo.*

Creaturarum omnium his in terris HOMO cum emphaſi INDIVIDUUM deſcribitur atque PERSONA; Eſt enim quilibet unus & unicus in & per ſe talis & diſtinctus â cœteris; Conſtat autem quilibet ex tribus à ſe invicem diſtinctis, aſt NB. inſeparabilibus partibus, SPIRITU nimirum, ANIMA & CORPORE organico, quarum quælibet à cœteris duabus abſtracte conſiderata ſuum ſuo modo in & per ſe τὸ eſſe habere atque ſubſiſtere concipitur; SPIRITUM præprimis ab Anima differre ANIMAMQUE â Spiritu, nemo accurate intuitus vocabit in dubium; differentia CORPORIS organici ab utroque illo, nemini poteſt eſſe ignota; concipiatur modo SPIRITUS in ſe talis & ab omni corporeitate abſtractus; ANIMAM autem ab utriusque Spiritus & corporis participare natura, utpote NB. medium, ſine quo nulla Spiritus & corporis obtineret conjunctio; quoad cætera corpora, ἐν παρόδῳ: exempli gratia: lapides, ligna &c. quorum contingentia, incrementum & decrementum non ſibi ipſis, ſed altiori & Spirituali adſcribenda venient qualitati atque virtuti, ex qua utique & ipſorum dependet reſolutio & rarificatio.

*Quili-*

Quamvis autem ex tribus iſtis eſſentiali-

tialibus & individuis Homo conſtet partibus, non tamen exinde ſiniſtre eſt judicare: Hominem quemlibet ex tribus conſiſtere Perſonis, ſed unicum modo intellectu & voluntate præditum Ens præſtare & Individuum ſive Perſonam, quanquam non abhorreat Trigeminus ſeu vocari Trinus; Aliæ namque ſunt qualitates SPIRITUS puri, Aliæ ANIMÆ, CORPORISque aliæ. *bet Trinus Individuum.*

*Quoad Corpus organicum exterum.*

Pro CORPORIS ſui organici exigentia, motu atque quiete Homo cæterorum in ſuo ſanguine viventium animalium qualitatibus ſuperbiens perhibetur, utpote qui & victu & potu, ut omnia animantia bruta, ſuam his in terris degere vitam indies habet opus, nec non cæteris utique Animale Regnum afficientibus nævis & viciſſitudinibus calamitoſis ad reſolutionem usque ſuam continuo & ab utero materno, ſubjectus exiſtit; cum hac ſolum diſtinctione & prærogativa, quod ob Spiritum regentem triplicemque coadunationem vocetur HOMO & RATIONALE ANIMAL, cui adeoque à Deo eſt commiſſum in cuncta ſub cœlo Dominium gen. 1, 28.

*Quoad Animam,*

Quoad ANIMAM, utriusque Spiritus ſcilicet & organici corporis vinculum

*Hermaphroditũ, utriusque ſpiritus & corporis natura.*

ſeu medium connexivum, Homo ſpiritualem inter NB. & mundum corporum tenet bilancem; ANIMAM enim de ſpirituum participare natura neceſſum eſt, aliàs foret impoſſibile, ſpiritum cum corpore jungi; ſunt enim Spiritus & corpus à ſe invicem abſtracte conſiderata quodlibet in ſuo eſſe atque ſubſiſtere duo maxime extrema & diverſiſſima & absque medii commodi interventu in æternum neque commiſcenda, multo minus unquam in unum venirent copulanda; Inſuper ratio ſeu ſpiritus nunquam ſuas poſſet in corpora exercere operationes, ut per quinque ejus videmus fieri facultates, ſenſus nimirum diſtinctivos & definitivos, niſi ANIMA inſimul corporis organici gauderet natura organica quanquam ſimpliciſſima & ſpirituali mundo proximiata ſeu adæqua; quod nullam omnino involvit contradictionem, quum & Paulus Jeſu Chriſti Apoſtolus θεόπνευς© ait: *ita reſurrectio erit mortuorum, ſeritur corpus cum corruptione, ſuſcitatur cum incorruptione, ſeritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale, eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale, at ſpirituale non eſt prius* ſc. conſpicuum, *ſed animale, deinde ſpirituale* fiet conſpicuum 1. Cor. 15. *Eſt igitur Anima non ſolum Spiritum & organicum corpus exterum in unum nectens copula atque vinculum, ſed etiam* NB. *adinſu-*

*adinſuper medium absque quo individuum foret nullum & Homo non Ens* ; ANIMA autem & conſideranda eſt utpote Pallatium aut Spiritus noſtri Thronus, ex quo & per quod cum cæteris exteris hujus mundi corporibus NB. communicat.

*Et Spiritus noſtri pallatium.*

Ut verò SPIRITUS ſuum ſibi tam mirificè conjunctum adjunctumque bene regat corpus organicum, ſeque non minus ratione cæterarum extra ſe exiſtentium ſibique objectarum ſubjectarumque creaturarum ex æquo præbeat & juſto, lex ipſi eſt facta (1) de bene id eſt: ſancte & juſte vivendo poſitiva. (2) de juſte & debite dominii ſui his in terris fruendo jure; (1) *illud* ſub ſanctimoniæ ſæpenumero inculcatur lege Lev. 11. &c. & Rom. VI. *Siſtite vos Deo & membra veſtra arma juſtitiæ Deo*, confer. Col. 3, 1. quare Paulus 1. Theſſ. 5, 23. totum ex tribus individuum ſanctitatis ſcilicet atq; juſtitiæ ſtudio deſecratum hominem allegat, aiens: *Deus pacis ſanctificet vos totos, & integer veſter* Spiritus *&* Anima *&* Corpus *inculpate in adventum Domini noſtri JEſu Chriſti* (en! tres ſubſtantiales in uno individuo partes) *conſerventur.* (2) *Hoc* creaturarum ſcilicet uſum ſcopo nectit & æquitati, habitus enim mundi præterit, ait Apoſtolus, quare qui utuntur hoc mundo, ne abutantur, hor-

*Spiritus officium ratione ſui ipſius & rerum extra ſe.*

 tatur,

tatur 1. Cor. 7, 29. 31. omniaque ad Dei gloriam ſive bibamus ſive edamus ſive quid faciamus, fieri oportere inculcat, 1. Cor. 10, 31. inſuper & Dominus noſter JEſus Chriſtus docet quemlibet ſalvandum, ut operetur non cibo, qui perit, ſed qui permanet in yitam æternam Joh. 6, 27. quare Paulus, ut veros JEſu Chriſti ſectatores à mundi hujus filiis diſtingueret, infit: quisquis certat, in omnibus eſt continens, illi quidem itaque, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam 1. Cor. 9, 25. non terreſtria, ait ad Coloſſenſes, ſi ſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi Chriſtus eſt, ad dextram Dei ſedens, *mortificate igitur membra veſtra terreſtria.* vid. Col. 3.

*Ut libertatem ſuam, ad quam homo eſt creatus, ſervare ſtudeat Spiritus.*

Ex quo omni SPIRITUS noſtri utpote potioris Individui partis atque totum regentis reſultat officium, illudque unicum conſiſtere in eo: ut indies ſuam in Deo per Chriſtum aſpiret atque ſollicitetur perfectionem, utpote cui extra ſuum, à quo omnino dependet & ſolum perfici poteſt, proventum ſive originem nunquam ſatisfieri poteſt; & ſi etiam pro tempore à momento in concupiſcentia quadam prava vel alia ex affectu inverſo orta activitate cupidinem ſuam exſaturaſſe animumque expleviſſe gaude-

ret,

ret, mox tamen & inſequenti momento idem ipſum, ſuper quo delectabatur, animi vigor non tantum collabeſcet, ſed propria ſua ad extremum cruciabitur conſcientia de ſpiritualis cibi penuria & derelicta ſua origine querula; Ex quo omni liquet, SPIRITUM hominis non ad ſervitutem, ſed ad libertatem eſſe creatum; quoties verò exteræ auſcultat creaturæ, atque in ea delectatur, aut carnis propriæ ad effectum usque blanditur libidini; toties ſuam deſerit libertatem & creaturæ & peccati fit ſervus atque mancipium, quare Paulus ad Rom. 6, 16. ait: an neſcitis, quod cui ſiſtitis vos ſervos ad obediendum, ejus ſervi eſtis, cui auſcultatis, ſive peccati ad mortem ſive obedientiæ ad Juſtitiam; reverendo ergo Deum ſuum & præcepta ejus obſervando, ut Eccleſiaſtes in epilogo movet; nimirum obediendo non modo SPIRITUS ſuam, ſed totius Individui, id eſt, hominis ex ſpiritu, anima & corpore conſtantis, *heic* operatur ſalutem, *illic* verò perfectè fruetur atque perennè.

Vix autem, Lector benevole! idem illud mihi obtinet inter utrumque Spiritum atque Corpus organicum *Anima*, quod in omnibus & cunctis corporibus præſtat *Acidum* atque *Alcali*, quatenus nem- *Interioris Hominis Acidum & Alcali Anima præſtat à*

*qua to formale bene & male eſſe dependet.*

nempe uniuscujusque pro exigentia & ex accidente eſt atque præſtat & adunativum, & deſtructivum & reunitivum. SPIRITUM Hominis diximus Regentem eumque ob ſimilitudinem vocare lubet Equitem, qui dum ſuum bene & ad ſanctimoniæ normam regit ſubjectum, tùm *Anima* nobis τῷ *Acido* & *Alcali* aſſimilata egregie exaltatur indiesque ita perficitur, ut à timenda perditione aut interitu evadat ſecuriſſima; ſique SPIRITUS hanc fidelitatis ſemitam ad obitum ſive vitæ temporalis finem usque ſervat, domicilio extero fracto *Anima* tamen, credas! *corpore organico quanquam ſubtiliſſimo nunquã deſtituta* cum ſpiritu regente arctiſſime unita, eâdem cum ipſo ſemper & in æternum fruetur beatitudine, & ſic totum Individuum, Perſona, Homo ex gratia prædicatur ſalvatus; Et vice versâ, SPIRITUS Eques infidelis & Director iniquus, qui non ſuum officium, ſed carnis ſecutus eſt φρόνημα, adeoque vitioſis deditus atque imbutus deliciis, tenebrarum mere his in terris patravit opera; non poteſt non poſt hanc vitam æternis vexari tenebris, prouti operatorem ſequuntur opera *Apoc.* 14, 13. & *Anima*, quâ *Acidum* ſpirituale atque *Alcali* à Spiritu Directore & Ductore indies ſiniſtre incitata atq; exorbitans facta & confuſa; eo ipſo & naturali ſuo deſtituta lumine & ad reactionem quaſi ad-

acta

acta chemicam, Spiritui ipſi tunc inverſe erit tormentum continuum & perditio poſtrema, vermis immortaliter absque mora rodens & conſcientia ſubinde indeſinenter accuſante, mordente & damnante putrefactionem ad *Acidi* morem atque modum movebit deterrimam, exinde & calor utut febrilis penetrantiſſimus ad reactionem deſperatiſſimam usque incontinenter aſſurget; quæ inexplicabilis tortura & dolor continuus ſacris literis ſub emblemate ignis acutiſſime urentis frigorisque in tenebris poſtremis contrahentis exprimitur; alibi ſub fletu & dentium ſtridore venit; alibi ignis appellatur Gehennæ, æternus, & ſtagnum alibi, ubi ardet ignis & ſulphur, mors ſecunda, Jeſ. 66, 24. Matth. 8, 12. Cap. 5, 22. Cap. 18, 8. Marc. 9, 44-50. Apoc. 21, 8. Totus adeoque tunc, quanquam exterum craſſumque amiſſum & depoſitum ſit domicilium, præſens videlicet & viſibile organicum corpus, ex *Spiritu, Anima* & *Corpore* utique adhuc conſtans homo (Acido quaſi & Alcali ex morum perverſitate corrupto intermedio) medias inter Erebi caligines miſeriæ inenarrabilis nec non cruciatûs acerbiſſimi objectum, atrociſſimisque Æternitatum Tenebris ſubjectum exiſtet.

*Formæ hæ agunt & paſſive ſe habentes.*

Ex quo omni ne quis concludat aut argumentetur: Si idem ipſumque *Alcali* & *Aci-*

*Acidum* creaturam exteram in ſtatum quo, ſiſtit, ejusdemque bene eſſe rurſus invertit, nexumque ſolvit, eamque poſtremum demolitur & prorſus eo ipſo extremum ei parat interitum, ſequitur; ipſius τῦ *Alcali* & *Acidi* ipſiſſimam exigere naturam: venenorum deſtructionis mortisque hac ſua ſævitia exercere aculeum & ipſam denique creaturæ fieri Gehennam. Sed ſciendum ſtatuendumque potius eſt: *Formas* illas tales nonnunquam exercere producereque effectus, quales permittuntur à ſuis objectis ſubjectisque, quorum in mundo corporum natura aut eſt mollis, aut dura, aut pumicoſa, aut compacta, aut ignea, aut Sulfurea, aut aquata, aut ſicca, aut humida &c. prouti absque numero multifaria à tribus regnis expenduntur corpora, æquè & diverſè *Formæ* illæ agunt atque operantur in ipſorum ſolutione & ſenſu ſuo intellecta annihilatione; ſunt enim *Formæ* iſtæ accommodæ corporibus ſiſtendis, conſtituendis reſolvendisque & rurſus ſiſtendis, non autem ſpiritibus.

*in mundo corporum.*

*Bene diſtinguendum inter Spiritus, formas, & corpora ipſa, ſeu materiam*

Ne autem quis ridiculos Carteſii conſomniet Vortices, ejusdemq; (quaſi corpuſcula atomiſata ſeu ſubtiliſata Spiritus referant) obrutus phantaſia, delirans adeoq; autumet: Varias rerum permutationes viciſſitudinesque à nuda oriri materia atque motu; Nam præter corpora ſive materiam Spirituales adhuc ſunt & à materia

toto

toto cœlo diverſæ Virtutes atque Potentiæ; Siritibus herclè Naturæ propriè omnes & ſingulæ adſcribendæ veniunt operationes, motus & varietates; neutiquam verò absque debito intercedente medio exque ſpirituali NB. æque de materiali participante natura, deficiente enim hoc intermedio, & omnis ſpiritibus in extera materia deficiet effectus, neque materia formarum ſpiritualium poſſet fieri capax; Formæ ergo & ab iſtis ſe ad extra exerentes facultates ſolùm à Spiritibus, neutiquam à formis, multo minus à materia dependere dicier fas eſt. Regunt enim I. *Spiritus* per formas, omnium quotquot ſunt & erunt, corporum mobilium immobiliumque genera atque ſpecies. II. *Formarum* autem omnium & cunctarum exemplar prototypum ſeu Ideam à Deo Conditore omnium Sapientiſſimo cœlo ipſi impreſſam credimus, quare ſi Cœlum formarum omnium dixiſſes genitricem formasque porro nuncupaſſes cœleſtes, noſtram acu tetigiſſes theſin: Eoque facilius foret concipiendum III. Quod & quomodo cuncta, quæ ex inviſibilibus, id eſt, formis per ſe non apparentibus Hebr. 11, 3. in conſpectum producta ſive viſibilia facta *corpora* ad Dei Creatoris Sapientiſſimi laudem ſempiternam reducentur & gloriam? Imaginem hujus omnis Microcoſmus referat, creaturarum omni-

omnium, quotquot ſunt, præcipua & ex *Spiritu* & *Anima* & *Corpore* conſtans, & ad Dei Imaginem creatus, quemque ſupra depinximus, Homo.

*Aliæ ſunt formæ ſpirituales.*

Alia adeoque forma eſt ACIDI in externa & exteris agentis atque ALCALI. Alia rurſus eſt conditio FORMARUM illarum ſpiritualium ſe in moralibus ſeu à parte hominum mere ſpirituali exſerentium, quæ ſpirituales FORMÆ, quamvis ſub Acidi & Alcali proprie non veniant nec venire poſſint denominatione, utpote quæ denominatio mutuata à corporibus; idem tamen & ipſum in ſua Sphæra modo ſibi adæquo agere, abſolute & neceſſario eſt ſtatuendum; quare in Orthodoxia noſtra Chriſtiana anno 1732 edita capite XIII. quo in LII. quæſtiones mundo polito & divinitus inſtructo ſolvendas ac illuſtrandas obtuli, quæſtionibus XVI ad XXIV. usque, porro XLIV. XLV. XLVI. eædemque & ipſæ FORMÆ ſpirituales digito tanguntur, quo in citato libro *quæſtiones illæ* idiomate teutonico deſcriptæ evolvendæ ſunt atque legendæ, *cuique Curioſo atque Philoſopho rimandæ pateſcunt.*

*Utique innocen-*

Verum equidem & indubitatum, dari FORMAS ſpirituales, neque bonas

neque

neque malas præbentes qualitates, ſed pro conditione præſenti & qualitatibus inſitis hominem internum figentes conſtituentesque; prouti ergo homo formarum iſtarum ſervat æquitatem ac temperamentum, ita ut æquitatis centrum (conſiſtens in omnimodæ ſuæ dependentiæ agnitione, nec non charitatis, nutrimentum ſuum centrale vitæque integritatem conferente officio) nunquam excedat aut transgrediatur, non poteſt non lucis ſub regimine tranquille latens quietudine ſemper dulciſſima frui & beatitate perfecta, id quod profectò audit τὸ bene & interni hominis eſſe perfectum; quam primum autem delinquit aut æquilibrio iſto excedit, ſuique officii transgreditur limites, eodem quaſi momento uxor ſuæ adoleſcentiæ cenſetur repudiata, bonæque conſcientiæ fœdus fractum, quare ait Jehovah Deus: *cavebitis Spiritui veſtro, ne perfide agatis, imo in uxorem adoleſcentiæ tuæ, quæ eſt ſocia tua, perfide ne quicquam agito* *Malach.* 2. Certe heic perfidia animique ſævitia regnat, ſub qua Turba atque tumultu Spiritus, cui primitùs à Creatore Benigniſſimo in cuncta ſub Cœlo factum erat Dominium, nunc à ſubjecta creatura in dedecus maximum ſubactus, libertate ſuâ naturali paceque orbus, & quod magis eſt, ipſiſſimæ ſuæ perverſi-

*tiſſimæ ſunt ſpirituales formæ in ſe, quamvis ſe paſſive exerant & active ut ad tò bene eſſe hominis.*

*ita & ad tò male eſſe illius.*

*Ita ad tò male eſſe illius.*

tatis atque proterviæ nec non exteræ, quam concupiſcebat creaturæ miſerrimum factus mancipium, anxietate premitur poſtrema & terrore inexplicabili, eoque ut ſacræ literæ loquuntur, vagus & infeſtus agitationibus in terra gen. IV.

*Miſerrimus hominis extra Deum ſtatus.*

Quid nunc exinde reſultat, dum Homo inſitarum ſuarum & habitualium qualitatum ordinem culpa ſua propria atque delicto in poſtremam hanc adegit coëgitque confuſionem atque turbam, ipſeque nunc totus quantus refractarius extra centrum ſuæ à Numine Summo Deo Creatore ſibi benigniſſime conceſſæ quietis vagatur, adinſuper lumine deſtitutus divino utpote in amplo indefinitoque palatur deſerto? Id reſultat, inquietudo ſcilicet ad inſaniam eum usque adigens extrema; animi enim ex anxietate & intemperie motus ſolaminis ſui & acquieſcentiæ gazam in cœno quæritat; & ſuperna Patris deſertâ domo nunc meditatur deorſum; vagus nunc omnem peragrando orbem; quamlibet ſubruendo terram; cunctam & quantum potis rimando creaturam; vera tamen & prætenſa ſatisfactione ſemper hæſitans orbus; tandem præcipuam animi ſui variis paſſionibus affectibusque correpti & coanguſtati propenſionem domi-

dominantem, quo in labyrintho ſuo ſe aliquantumvis & ad breve tempus reficiat, aſſidue ſequitur.

Hinc alii pravis dediti concupiſcentiis ſe in omnis generis impuritatum cœno circumvolutantes carnis libidinantur deliciis; inſervit in exemplum illa de filio immorigero Parabola luc. 15. Hoc genus hominum ſe & Baccho & Veneri inſimul offerunt atque ſacrificiant; quare Bacchæ Poëtis erant fœminæ remiſſæ, laſcivæ, meretriciæ, prodigæ, voluptuoſæ, faſtidii atque appetitus delicatiſſimi, depingebantur immanes & furibundæ, mox Leonum, mox Ovium, mox Semiarum & frequenter Porcorum Caprarumque præſentantes figuras; herclé non immerito carnis effrænata libido venenum vocatur lerniferum; Ad fœtidam deterrimamque & ſanctitatis lege prohibitam laſciviam inſignitæ illæ littora Siciliana olim incolentes Sirenes cunctos in illo maris tractu naviculantes dulci ſuo modulamine incitaſſe, incantaſſe & attraxiſſe, tandem & ſcelere peracto ipſos illos ſuos atrociſſime dilaniaſſe feruntur Amaſios. Quid de Heroibus dicam? Hercules ipſe præcipuus Omphalæ ſerviens libidine correptus & hoc ipſo effœminatus perhibetur! Uliſſes ſolus caſtimoniæ cultor ſtrenuus Sirenes

*Alii à ſcelerata carnis ſubiguntur libidine.*

præternavigans aures ſuas obſtruebat, ſeque navis alligari malo jubebat, ne magicâ præſtygiaque Ipſarum effascinaretur cantilena, evaſit caſtus, liber & ingenuus. Proli hodie moris factum, effræna carnis libido delectamentum prædicari licitum! hercle lethale mulſum funeſtam tragicamque ſalaci homuncionum generi minitatur atque patrat necem & interitum; Eheu! quam plurimi, qui non media in ætate ſua florente heic offendentes infeliciſſimam ad utrumque patiuntur ruinam, ad Sirenum tamen ſcopulos conſenescentes Letho tandem fatoque triſtiſſimo cedunt.

*Alii ab avaritia mancipantur, monſtro incluvioſiſſimo.*

Alii Euclionis inquinati ſordibus, terrenis inhiantes divitiis atque opibus morbo herclè incurabili laborantes Argyranche & ſtudio irremediabiles hærent: nunquam enim & nulla unquam apud ipſos hortatio ad reſipiſcentiam & converſionem, quam diu his degunt in terris obtinet aut obtinere poteſt; quamvis etiam cunctæ Dei in & per Chriſtum generi humano factæ promiſſiones, totum redemtionis negotium, omnesque & æternæ per Chriſtum reſtitutæ divitiæ & beatitates tali ex Myrmidonum ordine oriundo & inſatiabilis Voraginis Monſtro vividiſſime proponerentur offerrenturque

cre-

credas, quæſo! quamvis etiam ſuis ſemper mendacibus aſſentiretur labiis, ſimileque, ut fieri ſæpenumero ſolet, ederet ſuffragium, corde tamen cunctisque animi ſui viribus negat, nullus unquam, ſe convertendi aut peribilia abnegando, terrena cum cœleſtibus perennibusque in Deo per Chriſtum oblatis divitiis deliciisque permutandi mentis eſt, animique fuit, nec ad obitum ſuum usque erit; imo ſe ad hæc omnia liberrimè reſignanda accommodabit potius, quam minutiſſimæ ſuæ avaritiæ partis pati decrementum. Monſtrorum horum Atavus Poëtis dicebatur Tantalus, Jovis filius, Phrygiæ Regnator, ſed ſceleſtum caput, inexhauſtæ aviditatis & avaritiæ inexplebilis, & quamvis cunctas ævi hujus poſſideret opes atque divitias, implacatæ tamen gulæ ſemper Barathro iis pro vitæ ſuæ temporalis exigentia indigentiaque neutiquam uti fruive potis erat; quam ob rem Jupiter Eum in Avernum dedit præcipitem, ubi medius inter abundantes cupedias cibosque omnis generis delicatiſſimos, nec non vino innatans generoſiſſimo, diu tamen noctuque & æternum poſtrema & importuniſſima vexatur fame nec non aridiſſima ſiti; quæ tormenta inenarrabilia augentur & aggravantur Saxo quodam ſuper caput Tantali penſili prægrandi atque caligino-

ſo atrove, ipſique ſuper ipſam quovis momento & indeſinenter ad eum omnino conquaſſandum comminuendumque decidere viſo. Sunt autem præter Tantalum & Monſtra marina, Neptuni ſcilicet Filiæ, Harpyæ vocatæ, quæ Barathronis genuinam expediunt imaginem, quarum pallida quævis & colore muſtelino commiſta depingitur facie, corpore Vulturno, manibus pedibusque incurvis, Accipitrium inſtructa ungulis & permagno & inſatiabili proviſa ventre, & ſpolio & rapto quæque vivens; cum hiſce & Tantalo & Mida & furfuris hujus aliis tota & omnis Barathronum ſocietas Plutonia poſt hanc vitam ſecularem hæreditabunt Regna.

*Alii à ſuperbia horrendo & ob phantaſticos ſuos mores ridiculo ſannâque deludendo, ſed & Monſtro immaniſſimo crudeliſſimoque correpti incedunt.*

Alii interea à potiori, ſi non fortiori, magis tamen conſpicuo & omnibus ſine diſtinctione ſexûs ſtatusve ſublunaribus creaturis communi Affectu ſeu Paſſione mancipati in ſpectaculum circumductantur inſigne; quique de Tragico ſuo Dramate ſuperbè gloriantur, & de inſulſa ſua, quam fatuè ſibi imaginantur Auctoritate Animique granditate magnidici ſibi ipſis, cætera quævis ac ſupra allegata exteræ creaturæ ſuarumque paſſionum mancipia, & fortitudine & generoſitate & magnanimitate (ſed hercle debilitate abjectiſſima & ſtoliditate poſtrema) multum ſuperare videntur; Sunt autem Heroës

roës illi omnes, qui ſe ſacrificarunt FASTUI inhumano, à quo per omnes ſuas actiones paſſioneſque dependent, & dependere cupiunt, IDOLO, cui utpote Furiarum Principi ſeu Primati ſunt auſcultantes & adeo adjurati addictique, ut ab eadem illa ſtygia Immanitate ſe continuo animari, regnari & ut Beſtia ſeu brutum animal ab Equite ſuo, inſtigari non tantum ament atque deſiderent, ſed & glorientur magnopere, ſibique maximo ducant honori, quin! & fortunæ proſperrimæ, ſi modo ſe totos quantos IDOLO huicce ſuo immolandi valeant nanciſci occaſionem atq; cauſam; quare ubi minima animo ipſorum turgido & inflato videntur adverſa, exoptata ipſis feliciſſimaque audit occaſio, ſe ſtygii Faſtus paratiſſimos ſiſtendi præſtandique ſervos, nec non in avernali hocce & continuo bello Heroës, à quo ſuo Dominatore ſeu Idolo in ſeculo futuro ſua quilibet ex merito & condigno pro præſtita fidelitate remunerabitur mercede atque præmio. Furiæ autem hoc in prælio Equites ignivomis flammantibusque ſuis ſemper accurrentes carpentis concurrenteſque fœderales & è Plutonis Regno aſcendentes Auxiliares ſunt, quivis in ſuo ordine & charactere ſequentes: Icarus Primas, cujus ſatellites ſunt: Rana Æſopica, ſtulta Arrogantia, Ambitio ven-

 toſa,

toſa, inſaniens Superbia, Faſtus turgidus, veſtium luxus, Prodigalitatis aliquando, ſæpe etiam Avaritiæ gaudent ſodalitio; quæ venuſta caterva Herculi eripuiſſe clavam & animali cumano non diſſimilis creditur; concomitantur illam & in ordine ſuo ſequuntur: Pervicacia, Diſcordia, Intolerantia, Murmur, Odium, Invidia, Contemtio, Altercatio, Acerbatio, Ira, Furor, Crudelitas, Sævitia, Execratio, Cavilla, convitia, Teſtimonia falſa, Damnatio, Cædes & Homicidia lingua, corde factisque peracta horribilia. En! cuncta hæcce rurſus legiones Furiarum poſt ſe ducentia crudelitatis Monſtra ſoli Arrogantiæ Matri, quam appellitare dignantur *Ambitionem*, Patrique *Faſtui* ſuum omnem debent proventum atque vires!

Dominans hæcce & Furiis, quotquot ſunt Erebi, ſtipata Paſſio jam olim gentibus Ethnicis abominanda paruit atque funeſta, quare Poëtæ abominabilem hunc Diabolorum legiones in ſe foventem Affectum damnantes finxerunt Erydem iracundiæ rixarumque Deam, & Gorgones Phorcydis Marini Dei filias admodum deformes, crudeles atque immanes ſerpentibusque comatas, unicoque tres has Sorores proviſas oculo, quemlibetque illas aſpectantem transmutaſſe in ſaxum

ſolo

ſolo excepto Perſeo, qui eas vicerit arte ſeu aſtutia, tradunt; Aliud eſt Buſyridis Regis Ægyptiorum, Neptuni filii, qui ſanguinolentam ſuam crudelitatem Religionis tegumento & Devotionis fictitiæ larva palliare contendens à Jove in eodem & ipſo loco, ubi feroces ſuas exercuit immànitates, occiſus fertur & vindicatus; Buſyride autem ſæviores depingebantur Erynnes, tres illæ Furiæ avernales, Erebi Gehennæve filiæ, Alecto nimirum, Tiſiphone & Megæra, flammantes manutenentes faculas, rabiemque ex ore ſpumantes, ex oculis ſcintillantes fulgura & capillorum loco anguibus coronatæ; Omine nomineque abominando cluit Chimæra ignem continuo ex ore evomens flammantem, quæ Leonis capite, Capellæ ventre & Draconis inſtructa cauda, monſtrum adeoque deſcribitur infeſtiſſimum atque immane. His execrabilibus monſtris Furiisque ex æquo quemlibet faſtu turgidum & ſuperbia irretitum, cujus viſcera æſtuant ſemper odio & nonnunquam ſqualent invidia Poëtæ antiquorum duxere ſimilem. Eheu! Homunciones infeliciſſimi, qui ſe eo ipſo Dei Creatoris ſui imagine omnino deſtitutos exponunt! *Conſiſtit enim Dei imago in æquo donorum naturalium ſeu propietatum eſſentialium ordine, nec non proportionata & adæquata formarum æternarum ſeu ſpiritualium bi-*

*eo ipſo Imaginem Dei, ad quam ſunt creati primitùs negantes.*

 *lance;*

*lance*; quo in ſtatu creatura ex Spiritu, anima & corpore organico conſtans rationalis eſt ad Dei Creatoris ſui nutum atque voluntatem, non ſibi nec ulli alteri creaturæ, ſed totus quantus ſoli ſuo, à quo per omnia dependet & in ſolidum dependere amat, Deo, & in quo, utpote ſummo Bono æternum ſatiari ac beatitudine frui perfectiſſima & acquieſcere poteſt, vivit.

*quomodo τὸ bene æque ac male eſſe hominis à ſemet dependeat ipſo?*

Ex quo omni quam evidentiſſime liquet: *Omne τῦ bene aut male eſſe hominis aliarumque creaturarum verti cardinem in æqua aut iniqua formarum à legitimo qualitatum uſu ſeu abuſu dependente diſpoſitione*; id quod & clarius pateſcet, ſi modo penſitemus: ipſas & easdem, quascunque homo poſſidet aut poſſidere poteſt, qualitates eſſe cunctas à Deo creaturæ rationali in principio inſitas & bonas valde, inque optimo ordine eo fini collatas, ut iisdem ad ſuum ſemper bene eſſe utatur, id eſt: à Deo ſemper & in ſolidum dependens ſuam indies augeat perficiatque ſalutem, iisdemque ſe tueatur ab omni invaſione aliena, id eſt: ne ſe corrumpi, aut ab ulla, quæque etiam ſit creatura mancipari patiatur, ſed ſuo ſibi à Creatore in cuncta ſublunaria conceſſo juſte præſideat dominio.

Poſt-

Poſtquam verò homo rectitudinis iſto exceſſit tramite & ab æquitatis lege defecit, nuncque à creatura extera mancipatus inverſis & in proprium interitum atq; ruinam vergentibus qualitatibus exiſtebat inſtructus; non tamen idcirco NB. aliæ naturâ ſunt vires ejus ſeu *qualitates,* quam quæ etiam fuerant primitus, ſed *ſunt* herclè *ipſæ* & *eædem*, ſunt *tantum ex accidenti* & lapſus Protoplaſtorum interventu *redactæ* NB. *in confuſionem*, à lumine nimirum ſuperno deorſum flexæ & incurvatæ atque ad creaturam exteram, à qua homo ſe ſubjugari paſſus eſt, inflexæ; Quemadmodum iidem poſt lapſum adhuc ſunt homines & creaturæ, certè non aliæ, ſolùmmodo in eo vergente diſcrimine, quod homines primitùs fuerint Lucis filii & in ſtatu innocenti atque bono, quibus ſemper ad Deum patebat aditus; nunc autem Tenebrarum & fatui facti ſunt ignes, quorum ſtatus malus admodum & ſibi ipſis ſui damni & ruinæ imputans culpam, currus enim cunctorum affectuum pravorum & paſſionum triumphalis eſt NB. voluntas propria; quare prolapſi à nunc & impoſterum absque Mediatore atque Salvatore θεανθρώπῳ, Homine cæteris cunctis multum excellentiori præſtantiorique neque in primævum ſuum, multo minus in majorem felicitatis ſtatum ſunt reducen-

*Homo adeoque ipſe Dei neglexit imaginem*

*per Chriſtum reſtituendam.*

ducendi; quæque reductio à Creaturæ rationalis parte *converſio* audit & propriè, in priſtinum innocentiæ ſtatum *reverſio*; qui ſtatus, ne homo rurſus recidat, conſtantiam, perſeverantiam & indeclinabilem requirit firmitatem, à quo ſanctitatis & juſtitiæ requiſito atque tramite porro ad ſummum in Deo per Chriſtum acquirendæ beatitudinis gradum usque pergitur; ex qua Beatitatis perfectæ ſtatione nullam recidentiæ ſtatuimus poſſibilitatem, utpote qua inturbatam in invicto Domini noſtri Jeſu Chriſti Regno ſortem requiemque Sanctorum in luce abſolvi firmiſſime credimus, Col. 1, 12. conf. 1. Theſſ. 3, 13. 2. Theſſ. 1, 10. Jud. ℣. 14.

*Malus creaturarum ſtatus ex accidenti ducitur, & probatur.*

Per accidens ergo, diximus: Formas æternas factas eſſe informes, enormes atque deformes; quam ob rem Tenebræ lucis dicuntur deſtitutio aut privatio; peccata verò Sanctimoniæ Juſtitiæque defectus, abnegatio, legisque transgreſſio; hiſce verò in priſtinum ac primitivum ſuum converſis ordinem, nullæ amplius obtinebunt tenebræ neque transgreſſio, ſed lux Dei normalis replebit omnia Apoc. 21, 4. Et ſi quis ejuscemodi reſtitutionis aut reverſionis negaret poſſibilitatem, eo ipſo & negaret hominum, qui vocantur Dei in Chriſto ele-

cti,

ćti, ad Deum per Chriſtum converſionem reſtitutionemque; aut quis dubio vexatus hæſitaret in hoc: quid proprie in homine per Chriſtum convertendo converſionis gaudeat beneficio? ſciat: diſſolutas effrenasque hominis qualitates, quibus à Deo defecit ſeque turpiſſimis peccatorum inquinarat ſordibus, ob quas homo converſione vera ac infucata regeneratione nec non perfecta opus habet ſanctificatione, ſine qua nemo videbit Dominum, Hebr. 12, 14.

*I. Ex avaritiæ ortu, modoque reductionis*

Ad Theſin hanc probandam, abominandum I. ponamus *Avaritiæ* affectum, qui hominem peccatorem inhumanum & turpiſſimum omnium reddit Monſtrum; Affectus hic in principio Creaturæ rationali à Deo inſitus, bonamque & juſtam dictitabat qualitatem; inverſus autem & abominabilis eſt factus, dum homines ſpiritualium æternarumque in communione cum Deo fruendarum divitiarum loco, in vanarum mundi hujus perituri rerum poſſeſſione ſuum capeſſunt delectamentum, ſummumque ſuum quæritant bonum; convertatur modo vana illa propenſio à rebus exteris & revertatur ad Deum divitiasque Cœlorum perennes ſecundum Matth. 6, 19. 20. 21. ad Coloſſ. cap. 3. 12. hercle ipſe idemque dominans affectus in primitivum redu-

reductus ordinem, bonus erit ſanctusque, nec non beatiſſima animi tranquillitas & placidiſſima in divitiis cœleſtibus audiet acquieſcentia. II. *Voluptatem* rimemur ſive concupiſcentiam, eſt quidem adhuc eadem à Deo homini collata qualitas, ſed eſt obſcœna facta & maximè deteſtanda, quod in carnis turpiſſima & Venere & Baccho ſe exerente ſe definierit libidine, reducta rurſus atque in Originem ſuam reverſa, utique in ardentiſſimo Dei Triunius ſe explicabit amore, cujus virtute & inſtinctu homo ſe in Deum utpote æternarum & infinitarum divitiarum deliciarumque Mare quaſi & ſummum ſuum immerget Bonum, unicumque ſuum per omnes perennitates in Ipſo, miſſis omnibus creaturis, percipiet capeſſetque oblectamentum. III. *Ambitionem, Superbiam, Faſtum.* Triceps hocce quod atttinet Monſtrum, cujus inteſtina atque viſcera odio, invidia, iracundia, furore, rixis, cædibus aliisque execrabilibus Averni atrocitatibus ſqualent atque præſtigiis; privetur hic infernalis factus affectus ſuis objectis cauſisque, convertatur revertaturque in ſuum ortum atque centrum, cœlica exinde reſultabit facultas, Magnanimitas nimirum divina, cujus virtute homo ſoli Deo in Chriſto vivere, ſuoque fungi officio exactiſſime ſtudebit, cavebitque animoſe, ne ab ulla,

*II. ex voluptatis proventu.*

*III. ex ſuperbiæ origine.*

quæ-

quæquæ etiam ſit, creatura ſubjugetur reddaturque invalidus; multo minus minimam ob Soli hujus vanitates animi admittet paſſionem aut turbam, imò indigniſſimo ſibi duceret probro; ſed primitus ſibi collatum maſcule ſectabitur dominium, ſuam præprimis agnoſcendo dependentiam, Deoque ſuo ſoli in & per Chriſtum ſecundum ſanctimoniæ vivendo legem 1. Pet. 1, 15. utpote qui omni potentia facti potentes ſecundum glorioſum Dei robur *ad omnem tolerantiam & animi lenitatem* cum gaudio. Col. 1, 11. ut decet Hieroſolymæ cœleſtis municipes civesque Phil. 3, 20. quorum vita in Deo cum Chriſto eſt abſcondita, Col. 3. 1.

Obtinet autem & reſtat ſolvenda quæſtio circa has à Deo Creatore Sapientiſſimo homini primitus collatas eſſentiales & eum in finem conceſſas qualitates, ut exinde beatiſſima in omniſufficienti Dei communione ſui animi frueretur acquieſcentia; quî ergo factum ſit & fuerit poſſibile, celeberrimas haſce facultates in viaterrima, de quibus ſupra dictum, degeneraſſe & abiiſſe ſcelera vitiave? Reſpondemus: non potuiſſe non ita fieri, videlicet: ſceleſtiſſima poſt lapſum emergere Facultatum monſtra. I. *Avaritia* debitam ſuam nacta eſt formam, *præſtigioſum*

*Quî factum, quod excellentes hominum qualitates degenerarint in vitia horrenda?*

*I. in Avaritiam.*

*gioſum ſcelus* : quando Homo, qui ad infinitas poſſidendum factus divitias, nunc per & poſt lapſum in tantam & abjectiſſimam abiit dementiam, & in vanis peribilibusque trium ſublunarium regnorum rebus ampliſſimas ſuas ſtolide credat fortunas; attamen ex uno die in alterum ob inexſaturabile aviditatis ſuæ barathrum vagus & inquietudine continua poſtremaque vexatus exiſtit; quare diu noctuque cupiditate ſua inexhauſta & inexplebili cuncta, quæ modo per fas & nefas poteſt, inſane & rabioſe corradit, an forte in magna rerum harum caducarum & peribilium copia animi ſui acquieſcentiam ſuæque in illis deſideratæ felicitatis nanciſci valeat complementum? quem ſuum exinde formatum Vanitatis conceptum atque ſcopum, ſi etiam totius & omnis terrarum Orbis poſſeſſor fieret atque Dominator, attingeret nunquam.

*II. in Voluptatem.* Eadem eſt II. beneficii *Charitatis* ratio, præclariſſimæ & creaturæ rationali Homini eo fine à Creatore benigniſſimo collatæ qualitatis, ut ſummum ſuum in Deo amplecteretur Bonum, ac in Eo ſempiterna animi ſui, nec non perfectiſſima, adeoque & infinita frueretur acquieſcentia; Nobiliſſima hæcce qualitas non potuit non poſt lapſum in ſordidiſſimum & maxime obſcœnum abire Affectum, dum homo inter mere carnales & à carne

ne propriâ appetibiles guſtandasque palatur creaturas, quarum variante carni grato delicatoque guſtu, nec non titilationis dulciſſimæ ſenſu incitatus inflammatusque pro ejusdemque τῆς σαρκὸς φρονήματος ejusque appetentiæ vigore & requiſito ſe libans Baccho, Venerique immolans totum in impudicam ex utroque carnis libidinem variasque & praviſſimas erumpit concupiſcentias. Sic denique III. Superbia, Triceps & prodigioſum Legionesque Furiarum in ſuo ventre fovens in lucem ſeu conſpectum prodiit Monſtrum atque Portentum, idque ob *ſui* NB. quod in omnes absque diſtinctione ſub Cœlo creaturas Homini à Deo factum erat, *Dominii* jacturam, quando per lapſum ab ipſis iisdemque ſibi primitus ſubjectis creaturis ſubjugatus mancipatusque, nunc & ex poſt amiſſum ſuum Dominatum, ſed modo perverſo ac præpoſtero, ſtygio nempe plusquam avernali immanis & efferi ſui Affectus prole, Furore atrociſſimo rurſus quæritat atque repoſcit, quo tamen nîl efficit quicquam, quam quod ſe magis magisque erratis irretiri triſtiſſima edoceatur experientia, quare Salomo ſapientiſſimus ait: *Melior eſt longanimis robuſto, & qui dominatur in animum ſuum, eo, qui capit civitatem,* Prov. 16. 32. alibi ſapientiam Prudentiamque docens infit: *Intellectus hominis* *III. in ſuperbiam.*

*longanimem efficit eum, & ornamento eſt ei, præterire defectionem cap* 19. 11.

*Quæſtiones duæ circa converſionis poſſibilitatem atque modum.*

Alia nunc exinde nobis obtinet nec non in principalibus Religionum Sectis maxime trita quæſtio, nimirum: An in poteſtate aut Hominis ſe ita convertendi poſitum ſit arbitrio, quo cujusvis affectus peccaminoſi ſiſtatur protervitas ac in verum priſtinamque & genuinum reducatur ordinem coram Deo atque valorem? qui nobis utique nodum Salus perfecta, ſed *Innocentiæ* ſtatus audit, à quo demum ſtatu gradatim ad plenam eſt progrediendum Sanctimoniam atque ſalutem! Ex qua quæſtione reſultat & altera: quomodo nempe ſit inſtituendum, ut Homo hunc equidem & verum adipiſcatur atque conſcendat Converſionis gradum?

*Solvuntur. I. unde ſit converſio à parte II. conſiderata ex gratia.*

Primam nobis ſolvit interrogationem omnimodæ noſtræ à Deo, ejusque gratia dependentiæ agnitio; poſtquam enim homo ſua valde bona & naturalia dona in propriam ſuam ruinam, adeoque à Deo ejusque deficiens lege peſſimè applicârat, præſens atqua miſerrima hominis peccatoris conditio docet: quod immenſa ſolùm Dei nobis facta gratia è labyrintho nos reducendi converrendique ſit medium; illuxit verò gratia illa in Chriſto & per Chriſtum dominum, qui eſt lux vera,

ra, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, & omnes, quotquot eum ſuum Salvatorem excipiunt fide, Dei facit filios (a) illuminat hoc lumen divinum intellectum, quo 1. ſuam Homo experiatur & perſentiat miſeriam, ſeque inter aterrimas palari tenebras, imo ſe ipſum totum quantum agnoſcat Tenebrionem. 2. quo viam à Chriſto paratam conſpiciat & ad Deum reducem bene obſervet! (a) *Joh.* 1.

*II. Modus converſionis ſecundus à parte hominis ex convictione oriundus.*

Modus autem ærumnis hiſce imminentibus futuroque & majori eluctandi periculo, eſt: hanc quam quisque in ſe ſentit ex gratia mera ſibi factam, & in intellectu ſive ratione cœlitus accenſam ſequi convictionem, quæ quemlibet animadvertentem inſtruit atque docet: absque hæſitatione morave cunctos ſuorum exceſſuum ſiſtere gradus; ab omni, quæquæ etiam ſit, legis deſiſtere transgreſſione; omnibus absque diſcrimine reſignare peccatis; uno verbo, ſuos dominantes ſingulos reprimere & coërcere affectus, ne in ullo amplius puncto à ſanctimoniæ deficiat lege; En! hoc eſt parere gratiæ Domini noſtri JEſu Chriſti & Ductorem ſequi Spiritum ſanctum. Et quis, quæſo! præter tenebrionem obſtinaciſſimum, cujus unica in peccatorum cœno eſt delectatio, negabit? Gratiæ

hujus, ut diximus ope quemlibet, cujus intellectus modo luce illa ad veritatis nec non converſionis neceſſitatis atque modi convictionem eſt illuminatus, ad Deum revertere, ſeque omnimode, ſi modo velit, convertere poſſe; illuxit enim, ait D. Daulus (*b*) gratia illa Dei ſalutifera quibusvis hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo; & ne quis deficiat à gratia Dei, hortatur (*c*) multo magis creſcite, inquit, in gratia & notitia Domini noſtri & Salvatoris JEſu Chriſti (*d*) & obſiſtite diabolo &c. Ergo ſufficiens gratiæ menſura homini facta, imo quantum ad mandatum hoc exequendum modo requiritur; quare Paulus experientia vividiſſima edoctus, ait: *Valeo omnia, per eum, qui me corroborat Chriſtum*, Phil. 4, 13.

Tit. 2, 11. Hebr. 12, 15. 2. Pet. 3, 18. Jacob. 4, 7.

*III. Modus converſionis ad Deum evictus compendioſiſſimus.*

Tenebrarum poteſtas, cui ex Ambitione, Faſtu, & Superbia Thronus eſt, ſuum ſparſit virus generaliter atque generale, quo omnes quotquot ſub Cœlo creaturæ ſunt rationales, irrationalesque, conſpiciuntur infectæ; nullum enim & inter animantia bruta maxima minima, invenitur, quod non repugnantiæ ſe defendat ſcuto, & formi-

formicæ ſuam eſſe iram, ſuo loco diximus; Iræ itaque Affectus inter reliquos NB. ducit primatum, hunc in Homine appellitamus Faſtum ſeu Superbiam, à quo Homuncionum quotquot, ſolo & unico Chriſto excepto, nati ſunt, neminem credas eſſe exemtum, neminem enim tentari irritarique, ſi etiam purus putus & in poſtremo gradu eſſet phlegmaticus, invenies neſcium. *Cætera Pathematum monſtra, quorum Capita præſtant Avaritia & Voluptas carnalis, in ſuperbiæ ſphæra utpote ſuo clauſtro reſident atque munimento*, cujus NB. ſatellitio pro ſcopo ſuo, quisquis etiam ſit, exequendo utuntur, & odii & invidiæ & iracundiæ, nec non vindictæ, ubi opus ducunt, ſubſidio auxilioque pro intereſſe ſuo pugnant acriter atq; continuo; *Deſerto autem hoc* NB. *Superbiæ, quod immaniſſimæ & infernales inhabitant Furiæ, propugnaculo; hercle & Avaritia exſpirabit & voluptas prava quævis*; animique æqua reſiliet acquieſcentia atque tranquillitas, veraque Domini noſtri JEſu Chriſti imago rurſus conſpicienda veniet, de quo Matth. 11, 28. 29. ubi Soſpitator ait: *Venite ad me omnes, qui fatigati eſtis & onerati, & ego faciam, ut requieſcatis; attollite jugum meum in vos, & diſcite à me, quod mitis ſim & humilis corde & invenietis requiem animabus veſtris.*

*Tramite depicto imitandus firmiter.*

Ex quo vividiſſime ſequitur: Modum converſionis hunc compendioſiſſimum exigere ab homine: *ut* NB. *ab omni ſibi caveat omninò odio, invidia, ira, quibus tota & omnis furoris adhæret & inhæret turma atque vindicta*; hoc enim & Lethum & Erebum efformante potiſſimoq; victo & acerrimo hoſte, tranquilliſſima reſtituitur pax atque perennis; Animal namque ſerpens antiquus ſeu in illo ipſo ſupra citato Furiarum clauſtro reſidens Draco, qui indeſinenter & per cunctas vix actiones â Mundo adoratur, Satanas cum Profeta falſario in Abyſſum, ſtagnumque ignis conjectus, & ne amplius ſeducat, occluſus eſt & obſignatus; heic hominis recuperata & reſtituta priſtina eſt libertas, cui neq; luctus neq; clamor neq; labor exſtabit amplius, ſed ineffabilis eſt ab omni ſudore quies & præſtolanda ſalus atque beatitudo perfecta, quam ipſam Deus benigna ſua & gratioſa obſignat promiſſione, ajens: Victor hæreditario jure obtinebit omnia, & ero ei Deus, & ipſe erit mihi filius; formodoloſis autem & incredulis & execrabilibus & homicidis & ſcortatoribus & veneficis & idololatris & omnibus mendacibus portio aſſignata eſt in ſtagno, ubi ardet ignis & ſulfur, quod eſt mors ſecunda, Apoc. 21.

Ratio-

Rationis itaque hocce ſeu intellectus ſequi lumen *Sapientia* eſt; & ab omni ſibi cavere exceſſu, eſt *Prudentia*; revocat hoc lumen quemvis è ſuo labyrintho in rectitudinis ſemitam & de converſionis genuinæ vividiſſime convincit neceſſitate, hanc autem ſequitur convictionem homo. Quando I. terrenis hiſce pro corporis ſui indigentia vitæque ad præfixum ſuum terminum usque ſuſtentandæ gratia, omnem & quamcunque evitando abuſum, cum humillima erga Deum Benefactorem gratiarum actione utitur fruiturque, quo ipſo omnem, ut decet, damnat & exſpirare facit *Avaritiam*. II. Quando homo unicum ſuum in Deo, omnes autem absque diſcrimine mundi hujus deſpiciendo & proculcando delicias, reponit oblectamentum animique ſui acquieſcentiam; ſic enim omnis ſine distinctione prava eradicatur *Voluptas*. III. Quando contentus in cunctis, & adverſiſſimis etiam Ævi hujus ærumnis ad odium, invidiam, iram animique acerbitatem moveri impoſterum exiſtit neſcius immeritusque, ut cum Paulo Apoſtolo effari queat: quis nos ſeparabit â charitate Chriſti? num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? imo in his omnibus amplius quam victores ſumus per eum, qui dilexit nos, Rom. 8. An non,

*IV. Modus converſionis penitiùs illûſtratus & clâriſſimus.*

*I. ab avaritia.*

*II. à voluptate.*

*III. a Superbia.*

ingenue Lector! ſic præſtigioſa etiam cum tota & omni ſua Furiarum caterva fugatur & æternum deſerta ſiſtitur *Ambitio Superbiave*.

*Poſſibilis ergo evincitur & à parte hominis converſio.*

Quis ergo, præter qui renuit libere, veram hominis converſionem heic & hiſce modis ducet impoſſibilem? Nam ſi quivis homo ſui intellectus Lumen ſeu convictionem, ut diximus, ad amuſſim ſequi ſtuderet neque in unico amplius deficeret puncto, & qualitates debito ſemper ſuo inſtructæ vigore & donec ſummam ſuam in Chriſto nanciſcuntur exaltationem, illibatæ manerent; & quid quæſo! hoc aliud eſt, quam quod eſſe oportet, & nobis, quotquot per Chriſtum cupimus ſalvari, injunctum? ut nempe ſecundum Sanctimoniæ Juſtitiæque viventes normam Chriſtum ejus portando crucem ſtricte ſequeremur & ſtrenue. *a*) qui utique eſt vocationis noſtræ tenor, ut exemplar Chriſtum ſectando ejus legeremus veſtigia, *b*) utpote qui conſummatus, factus eſt Auctor ſalutis æternæ omnibus ei auſcultantibus, *c*) utque ſic regno cœlorum afferremus vim, *d*) noſtramque cum timore ac tremore conficeremus ſalutem, *e*) eoque & ipſo Electionem noſtram, ne amplius impingamus, indies efficeremus firmam, *f*) ſuſtineremusque ad finem, *g*) atque mortem usque & ad obti-

obtinendam vitæ æternæ coronam eſſemus & perſiſteremus fideles. *h*) Utque uno verbo, totam Dei ſervaremus legem, id quod mulieris ſemen decet, *i*) cujus inſigne atque vexilli character audit: *Hic tolerantia Sanctorum; hic, qui obſervant præcepta Dei & fidem JEſu, k*) quos JEſus Chriſtus Dei Filius ipſe extollere dignatus ait: Beati, qui præſtant ejus præcepta, ut ſit eis jus in Arborem vitæ, & per portas ingrediantur in civitatem, Apoc. 22, 14.

*a*) Matth. 16, 24. *b*) 1. Petr. 2, 21. *c*) Hebr. 5, 9. *d*) Matth. 11, 12. *e*) Phil. 2, 12. *f*) 2. Petr. 1, 10. *g*) Matth. 10, 22. *h*) Apoc. 2. 10. *i*) Apoc. 12, 17. *k*) Cap. 14, 12.

*Converſio ulterius evincitur, dum indubitatum ſit: Neque peccata, neque tenebras fuiſſe ab initio, ſed per accidens in tempore contigiſſe.*

Exinde rurſus quam clariſſime pateſcit: cunctas Hominis qualitates maxime peccaminoſas vitioſiſſimasque, ſi modo revertantur, ut eſt indigitatum, & in priſtinum reſtituantur ordinem, fieri virtuoſas ſanctasque; *Peccatum* perverſitatem docet naturæ, quâ & transgrediendo juſtitiæ legem Homo in proprium ſuum ſemper agit damnum, reverſus autem & ad Deum converſus, unica ſtatim erit ejus oblectatio, cibus atque potus: Cœleſtis ſui Patris facere indeſinenter voluntatem, & eo ipſo dulciſſima perennique frui quietudine; *Tenebras* enim æque ac pec-

cata, nemo ſanæ mentis credet in principio à Deo omnium rerum Conditore ſapientiſſimo factas creatasve? multo autem minus quis eas, præter Tenebrionem ipſiſſimum æternas & Deo coëxiſtentes absque horrenda blaſphemia ſtatuet aut cogitabit! Deus utique ante mundi hujus creationem ſolus lux puriſſima perfectiſſimaque exſtitit, ut adhuc exiſtit, talisque in æternitates & immutabiliter exiſtet, Deus enim lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt ullæ, 1. Joh. 1, 5. vocatur luminum Pater, apud quem non eſt transmutatio aut inverſionis obumbratio, Jacob. 1, 17.

*Ex nihilo nihil fit, fecit autem Deus omnia verbo ſuo potenti.*

Myrmidones eorumque Capita ſeu Paſtores plurimi pro Sapientia è tenebris ipſis acceſſa clamant: Ex nihilo Deum omnia, quin & tenebras feciſſe, quod autem ſuum nihilum non ex ſacris literis, nec ex ratione ſana, ſed ex ipſiſſimo ſuo omni prudentia deſtituto vacuoque demonſtrare poſſunt cerebro, non agnoſcentes neque concipientes: Deum ipſum eſſe ab æterno ad omnia & in omnibus omnia, qui omnipotenti ſuo verbo cuncta, quæ exiſtunt, creavit, ut & evidentiſſimis perhibetur à Moſe Jehovæ ſervo fideli, Gen. 1. Mundi hujus creatio, & quodcunque Deus creavit, Ecce! erat valde bonum; imo potenti Verbo ſuo fecit

fecit omnia, verbo enim Jehovæh Cœli facti ſunt & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum Pſalm. 33, 6. Hebr. 11, 3. & per fidem intelligimus, Æternitates eſſe conſtitutas Verbo Dei, 2.Petr. 3, 5. Cœlos jam olim exſtitiſſe per Verbum Dei; Idem Omnipotentiæ Verbum quam clariſſime deſcribitur Evang. Joh. Cap. 1. in principio erat Verbum illud, & Verbum illud erat apud Deum, eratque Verbum illud Deus, hoc erat in principio apud Deum, per hoc omnia ſunt facta, & absque eo nihil eſt factum, quod factum eſt; in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum; Et Verbo hoc potenti omnia, quæcunque ſunt, ſuſtinentur Hebr. 1, 3.

*Cum tenebris æque ſe habet, ac cum affectibus peccaminoſis, re- & convertantur lux tenebrarum ſuſtinebit vices.*

Ex quo adinſuper eſt colligere: à principio præter lucem exſtitiſſe nihil, omniaque, quæ Deus à principio fecit, conſtitiſſe in luce, adeoque confuſionem in primi elementi materia, & quidem per accidens & ex poſt eſſe ſubortam, ex qua tenebræ externæ ſuam ducant originem, credendum; cui reſiſtat nihil, quam ut confuſio illa, quæ facta eſt, explicetur reſtituaturque in priſtinum, tum tenebras hercle in lucem rurſus transmutatas conſpiciemus; ſic & intelligenda ſunt ſacræ ſcripturæ loca, Eſai. 45, 7. ubi de relaxanda captivitate Babylonica ſermo eſt: ut gentes cognoſcant, Jehovam

vam eſſe Deum & nullum præter eum, qui malum phyſicum, quod Jehudæ Tribus vitæ ſuæ enormitate ſibi accivit, ipſis pro morali retribuit, id eſt: juſte permiſit: ut Babylonem verſus, prouti prædictum erat à Prophetis, ducerentur, ubi utpote in tenebris degebant LXX. annis, dimiſſi remiſſique à Cyro Perſarum Rege, ſub quo Judæis tenebræ rurſus vertebantur in lucem, Eſai. 42, 16. Deus tenebras lucentes facit Pſalm. 18, 29. Beatus, qui ſapit, & ſe ab omni creatura convertit revertitque ad Deum in Chriſto, ei ſoli per omnia obediendo atque perſeveranter vivendo, manifeſtabitur enim in luce gloriæ ejus puriſſima Lux ad Dei Triunius laudem & gloriam in & per omnia ſeculorum ſecula.

*Quanquam & extera natura per accidens turbata et ſpiritualis ſeu moralis ſuis obfuſcata eſt tenebris nulla tamen exinde in Deo*

Tales & tantas, formæ æternæ & in extera natura, & in Homine præcipue perpeſſæ ſunt viciſſitudines atq; Eclipſes! Excellentiſſimæ in luce primæva pura ordineque bono juſtoque primitus ſitæ & conſtitutæ qualitates, in obſcuriſſimos perverſiſſimosque & tenebrarum merè opera reſpondentes exivere *Affectus, quibus homo, quamvis nullam iisdem in Deum inferre læſionem aut offenſionem poterat, nihilo minus ſuæ in Deo ſalutis omnimodam fecit jacturam*; idque quoniam è rectitudinis deficiendo tramite ſibi ipſi intulit

lit damnum atque ruinam, ſeque beatiſſima Dei communione, adeoque & propria privans ſalute; *Hominem autem eo ipſo læſiſſe Deum, eumque injuriaſſe, & ad iram vindictamque moviſſe ſeu incitaſſe, nemo ſana piæque compos mentis absque horrore cogitabit, multo minus ſtatuet, imo id contra conſcientiam magis & horrendæ ducat blaſphemiæ.* Iracundia enim, odium, vindicta, furor non tantum ſunt ultimæ infirmitatis notæ & exorbitantes imperfectiones, ſed & abjectiſſima omnem hercle rationabilitatem mentisve ſanitatem negantia atque hominem deformem maxime & admodum monſtroſum ſiſtentia vitia; quæ profectò de Deo omnium rerum Creatore benigniſſimoque ſuarum creaturarum Conſervatore & tanto imo maximo benefactore absque horribili blaſphemia cogitari, multo minus prædicari poſſunt; Cum Deus ſit Ter Optimus Maximus, Ens ſumme perfectum, immutabilis, Sanctiſſimus, Lux puriſſima, juſtiſſimus, cujusque ſumma Beatitas atque perfectio adinſuper nobis depingitur ex eo, quod ſit omne,, quod eſt, à ſe ipſo & per ſe ipſum & ad ſe ipſum, idemque ſemper & immutabiliter talis ab æterno in æternum; an ipſe quæſo! à ſua, quæ ab ipſo & lege deficiens ſanctitatis ſe ipſam in poſtremam redegit perditionem, adeo abjecta creatura in quiete ſua beatiſſima turbari, tentari

*Creatore & ipſo contingere potuit mutatio, quare, Deum ex lapſu hominis concepiſſe iram & accenſum eſſe ad vindictam, inſulſiſſimum ſapit commentum.*

*Ira & vindicta vitia ſunt maxime monſtroſa & infernalia, in Deum non quadrant, eſt enim tentari neſcius.*

tari & in tantam animi commotionem induci poterit? neutiquam, abſonum eſt, ne cogites, nam Deus eſt ἀπείραςός κακῶν, qui tentari nequit, vide Jacob. 1, 13. Et quid quæſo attributa Dei eſſentialia, ſummum Dei honorem atque gloriam offendit magis & inficiatur, quam Deum Ens ſumme perfectum tantis implicare animi infirmitatibus?

*I. Independentiam Deo diſputant.*

I. *Independentiam* Dei negat Ira nec non proles Vindicta, nemo enim iraſcitur, aut ſe ab aliquo vindicare præſumit, niſi, ſe ab illo hoc aliove & quocunque modo exiſtumet læſum, quo ipſo & in tantum ſuam ab alio prodit dependentiam; hocce enim infirmitatis poſtremæ mentisque prorſus inſanæ Affectu, Irâ nempe Vindictaque correptus evidentiſſimum de ſe edit teſtimonium: ſe NB. à qualibet mundi hujus, à qua offendi aut irritari poteſt atque patitur, creatura compeditum circumduci mancipium; ex. gr. quâcunque homo delectatur creatura, illi hercle eſt animi ſui ſenſu alligatus cordisque ſui annexus deſiderio; dominantium ſuorum affectuum quivis eſt quaſi portus, quoin cuncta, quælibet ſuis anchoris alligata conſiſtunt vincula, quibus homo ab exteris vix omnibus compeditus creaturis mancipatusque exiſtit: Avaritia indicat, quod & ab

ab inanimatis hujus mundi rebus atque opibus ſe irretiri conſtringique liberrime patiatur homuncio; Voluptas, hominem tantum quantum in Veneris atque Bacchi redactum ſervitutem, jubilat; Ambitione denique ſua monſtroſa Homo, nec non quavis ab ea dependente animi ſui inquieti, impotentis, iracundi & utcunque turbati actione, ſe omnis atque totius Dei imaginis feciſſe jacturam, effrons profitetur; utpote qui de præſenti & inpoſterum nec à Deo, nec à Juſtitiæ lege, ſed à ſua in ſolidum phantaſia animique turgeſcentia & intolerabili dependet & dependere vult arrogantia, dictitante: neminem ſibi formoſitate, habilitate, animoſitate, fortitudine, dexteritate, calliditate eruditione, prudentia, ſapientia, dignitate aut ulla alia majorẽ qualitate ſive eſſe adæquum; ubi v. monſtroſo huic affectui vel potiùs homini hoc avernali affectu imbuto in minimo contradicitur, & facile fragilem exinde aut vanæ ſuæ gloriæ ampullam, id eſt, ambitionem, vel aliam gravis ſuæ arrogantiæ partem à proximo vel & ab aliunde eſſe offenſam, hincque phantaſticam inſanientemque ſuam Majeſtatem prætenſaque prærogativa reputatur læſa; ſtatim excandeſcente inæſtuat ira, immanique fremit furore, quibus & cæteris hiſce connexis Orci Furiis & homines & animantia etiam cum impetu

*explicita ambitioſi adeoque & iracundi imago.*

tu & violentia adoritur bruta atque inceſſit; quo ipſo ſe miſerrimam infeliciſſimamque & extra Deum & omnium Sanctorum communionem palantem manifeſtat creaturam. Cum ergo Stygii hi affectus hominem, qui ad Dei creatus eſt imaginem tam deformem, tam horribilem, tam abominabilem imo infernalem reddunt, Furiarumque Erebi depingunt Subditum atque catenis tenebrarum ligatum mancipium, quomodo quæſo? quis absque horrore & formidine poſtrema illos & eosdem injucundos, inimicos & eſſentialem Dei independentiam nec non hominum omnimodam ab ipſo dependentiam abſolute negantes iracundiæ affectus Deo Enti ſumme perfecto, ſanctiſſimo, Juſtiſſimoque adſcribendi erit temeritatis aut audaciæ?

*II. Infinitatem Dei negant.*

II. Infinitati Dei Iræ Vindictæque dominans obſiſtit affectus, nam ſi hominis creaturæ rationalis lapſus Deum Creatorem irritare potuit, & in iram incitare, ex quo ſe de injuria ſibi à ſua creatura inflicta atque perpeſſa vindicandi deſiderium eſſet natum atque propoſitum, ut perhibetur è ſomno; certe infinitas Dei eſſet interrupta, cum & eo ipſo novi aliquid, quod in Deo Ente perfectiſſimo ab æterno neque vi ſuæ eſſentiæ fuit, nec unquam locum obtinere potuit, ex trans-

greſſio-

greſſione lapſuque hominis Dei acceſſerit Naturæ, Ira videlicet atque Vindicta; Et cum per & poſt vindictæ executionem ira concepta perhibetur imò & creditur mitigata atque permulſa, ſequitur; illam dominantem & per creaturam peccatricem productam paſſionem ſuum etiam in executione nactum eſſe complementum atque finem; quod non ſolum affectus hujus ortum teſtatur atque proventum & exitum, ſed etiam, ut quivis ſanæ ſuæ rationis capax facile capiet, infinitatem Dei abſolute & fronte inverecunda negat.

III. Attributum Dei eſſentiale, immuabilitatem Iræ vindictæque offendit paſſio, ſi enim infeſtivus hicce & de infirmitate poſtrema teſtificans affectus obtineret in Deo, ex accidenti modo obtineret, nam ab æterno & vi perfectiſſimæ ſuæ Eſſentiæ in Deo nunquam uit, nec eſt, nec in æternum erit, & oſito nunquam tamen conceſſo, ex laſu Protoplaſtorum adeoque ex accideni in Deo iræ obtinuiſſet concitatio muabilitatem absque ulla controverſia involveret apertiſſimam; fieret enim, quod b æterno non fuerat, & prædicaretur xhinc Deus, qui vi ſuæ naturæ eſt miſſimus, benigniſſimus, amabiliſſimus, eatiſſimus, in iratum, indignabundum,

*III. Dei immutabilitatem offendunt.*

formidandum atque ſtrenuum propriæ-que ſuæ cauſæ NB. id eſt læſæ ſuæ Majeſtatis transmutatus Judex Vindexque, quod ſana ratio nunquam ſubſcribet; nec maſcula hoc abſurdum de Deo Ente immutabili permittit pietas.

*IV. Sanctitatem Deo diſputant.*

IV. Sanctitatem Deo diſputat impurus iræ affectus; Sanctitas virtus eſt ſplendidiſſima, perfectio ſumma & attributum Dei eſſentiale, Throni ſui gloria, Majeſtatis ſuæ fulgor atque decus, & talem prædicat ſinceritatem atque puritatem, quæ ne minimam admittit turbationem pollutionemve, quare Deus lux puriſſima, in quo nullæ tenebræ, deſcribitur; quid autem, quæſo! magis turbat atque confundit, quin & deterrimam per conſequens inducit inquinationem? An non ira, furor, odium, inhumana ſuam in proximo ulciſcendi cauſam cupido? animum prorſus confundunt, inceſtant atque conſpurcant? An non & ſtygius iræ affectus ſtrenuo crudelique & tenebras in ſe fovendi cunctaque cominus venientia concremanti aſſimilatur igni? uno verbo, *eſt caliginoſæ adeoque & impuriſſimæ naturæ ſignum atque character*; Qui, quæſo! præter cui lumen omne rationi ademtum, Deo ſanctiſſimo & luci puriſſimæ obſcuriſſimam iræ, multo minus vindictæ accredet paſſionem; adinſuper ea-

dem

dem & iniquiſſima illa animi turbati paſſio.

V. Dei inficiatur juſtitiam, cujus virtute Deus ſapientiſſimus ſemper facit, quod eſt juſtum & æquum, non quod infirmus ille ex læſione aliqua ab extra acceſſa oriundus iræ ſemper vindictam ſitientis deſiderat affectus, ſed quod juſtum eſt *primo* ratione ſui ipſius, pro *ſecundo* ratione ſuæ creaturæ, hominis, ejusque qui ipſi contigit, lapsûs. 1. ratione ſui ipſius & perfectiſſimæ ſuæ naturæ *Juſtitia* Dei requirit: ut Deus maneat immutabiliter talis, qualis fuit & eſt ab æterno, in omnes æternitates absque ulla per accidens aut ab extra in ipſum irruente mutabione, ſemper idem Ens ſumme perfectum, beatiſſimum, independens, à quo utpote rerum omnium Creatore & Conſervatore omnia minima dependent & maxima, infinitum, immutabile, ſanctiſſimum, juſtiſſimumque; 2. ratione hominis lapſi, Dei poſtulat *Juſtitia*, ut ſuæ miſereretur creaturæ, eique è ſuo elabendi labyrintho ex gratia porrigat manum mediumque, reſtituatque eam, utpote quæ per aſtutiam & Satanæ inſidias ſeducta defecit, quo neminem, præter ſe ipſam ſuamque ex hinc infelicem admodum reddidit progeniem, & niſi gratioſiſſimum per mulieris ſemen

*V. Dei inficiatur juſtitiam.*

exequendum redemtionis interveniſſet negotium, homo extremæ ſuæ miſeriæ nunquam neque in æternum vidiſſet exitum. *Secus* ac Plebs inculta ſeu quædam ſectæ aut illarum potius ſub atro ſuo tegmine lucem ſimulantes ſingulariſque ſapientiæ inflati arrogantia, & exhinc animo & ratione ſana vacillantes Præfecti è delirio ſuo quaſi ſomnove Deo Ter Optimo Maximo tantam, per conſequens vi ſuæ naturæ adhæreſcere aut ſævitiam, aut iram, aut ad minimum durum valde & immiſericors plurimam creaturarum ſuarum rationalium partem Orco & Diabolo in perennem tradendi cruciatum, jamque ab æterno in Deo ſitum fuiſſe, fingunt, adſcribunt, accredunt & publice docent Prolubium, & quod ulterius poſtremam crudelitatem ſapit propoſitum; quod hercle mentis caliginoſæ productum auribus Deo in Christo benigniſſimo juſtiſſimoque & perfectiſſimo conſecratis intolerabilis & horribiliſſima audit blaſphemia.

*Charitas ab æterno & in æternum Bonitas Deus.*

Sed & omne illud, quod ex lapſu ſu pervenit homini, malum certo certius credas! à Numine ſummo Terque Optimo Benigniſſimoque neutiquam, multò minus ex iræ infirmitate, aut ulciſcendi cupidine peccatori illatum; ſed hujuſcemodi peccatorem affligentes calamita

*Ex malo creaturæ morali phyſicum educi credas!*

tes atque ævi hujus ærumnæ lapſum aut ſuum, quem è luce fecere exceſſum umbræ in modum ſequuntur, culpam enim immediate, ut aquæ rivos pœnæ ſequitur malum, in caligine regnat cœcitas, in luce obtinet viſus; ſunt tenebræ luctus mœſtitiæq; nec non formidinis Domus, miſeriæ omnis & cujuscunque condus atque colluvies; reficientis viciſſim & recreantis & exhilarantis vivificantisq; virtutis lux eſt; Extra Dei verſari communionem, in extremis variisque imo innumeris tam exterum organicum corpus, quam & præcipue animum ipſum ferientibus plagis palari calamitatibus, clamat; Interim Deus exigente æterna ſua *Juſtitia* creaturam, quam fecerat liberam, quæque ſe ſerpentis calliditate circumveniri paſſa defecit liberè, reducere per Chriſtum conſtituit, non verò per modum adactionis, ſed ut redeat ſponte, ſeque patiatur reduci, perſuadet, eumque de ſua in & per Chriſtum reſtituta communione quàm ſuaviſſime vividiſſimeque convincendo amice laceſſit.

*Sacræ literæ de De ἀνθρωποπαθῶς loquuntur.*

Verum equidem in in ſacris literis varie Deus deſcribitur, mox Benignus, mox ira excandeſcens ſive iratus, mox animi ardens fervore, mox intima affectus miſericordia, mox mœrens, mox dolens de commiſſis, mox pœnitens, Gen. 6, 6. mox

 horri-

horribilis, mox utpote conſumens concremansque ignis &c. qui cuncti ultimam infirmitatem dictitantes affectus, quorum perfectiſſima Dei Natura in æternum non admittit umbram, de Deo propriè prædicari non poſſunt, quare omnes tales in ſacra ſcriptura de Deo factæ locutiones loquendive formulæ ἀνθρωποπαθῶς ſunt intelligendæ, ſcilicet utpote quæ imbecillitati ſunt accommodatæ hominum; qui Deum ob cordum ſuorum duritiem & pertinaciam aliter neque voluerunt, neque cognoſcere potuerunt; ad quos regendos, compeſcendos, & ad obedientiam cultumque Deo debitum adigendos, coërcendosque extimeſcendis hisce expreſſionibus certe opus erat; quare cultus populi Iſraëlis Leviticus, cui omnis inſervire populus tenebatur, neutiquam erat liber ſeu ſpontaneus, ſed ſervilis admodum & coactus, quare jugum vocatur δυσβάστακτον.

*Judicia quæcunq; intenſiſſimi DEI erga ſuas creaturas amoris ſigna ſunt atque criteria.*

Ubi autem Deo exercenda immiſſaque in peccatores adſcribuntur *judicia*, ut docet Diluvium; Sodomæ & Gomorrhæ everſio, gentium Ethnicarum in Canaane exſtirpatio; Deum Tribuum Iſraelitarum, ut & paulo poſt Jehudæ captivitas, Judæorum poſt alteram Hieroſolymæ demolitionem diſperſio &c. de quo

& in-

& innumera teſtantur exempla, malum pœnæ à Domino prædicatur Amos 3, 6. contagia endemica ſeu plagæ publicæ, ut Peſtis, annonæ caritas, funeſta & Regna & regiones & certos terræ tractus devaſtantia bella &c. quæ cuncta non tantum à Deo permitti, ſed & dirigi concedimus, ſed NB. in Ira neutiquam aut violenti animi commotione, aut peccatores ulciſcendi cupidine, ſed ex juſta erga homines cunctas ſuas creaturas rationales dilectione, quare Moſès Servus Jehovæh fidelis exclamat: O quam valde diligis populos Deut. 33, 3. *Judicia* ipſa, prouti ſpectentur, ſunt in relatione Dei ad homines mera NB. amoris exercitia in emolumentum & homuncionum commodum atque ſalutem â Deo benigniſſimè immiſſa; Si etiam iisdem immorigeræ terræ incolæ ſuſtollerentur è medio & è vita exciderentur temporali, in bonum cederet non tantum exciſorum, quorum ex laſciva peccandi conſuetudine contracta miſeria abbreviatur, atque judicia, quæ ſibi indies magis magisque cumulaſſent, præcaventur duriora; ſed & admodum ſemper gratioſa res eſt, nec non pergrande in præſens & futurum hominum cedens emolumentum exinde reſultat beneficium; dum ſic peccata delentur, vitia abolentur & iniquitates, orbisque habitabilis ſcelerata expurgantur

 loca,

loca, quo morali adeoque ſublato malo, judiciorum utpote cauſa, unà ſimulque tollitur per conſequens & malum, quod in pedem præcedens ſequitur, triſte nimirum, ſive pœnæ; porro exinde ſalvificæ Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiæ conceditur locus atque mora; Sic Amor Dei & Benignitas æterna aureum beatumque hinc & illinc reducere inducereque ſeculum ſolet; Ex quibus cuilibet, cui rationis & ingenii utcunque vires ſuperſunt, quam clariſſime concipiendum pateſcet, quod D. Johannes teſtatur, aiens: Deus Lux eſt & in eo non ullæ ſunt tenebræ *a*), charitas eſt *b*), in quo nulla obtinet mutatio *c*), multo minus ira, odium, tædium, furor, vindicta & ejuscemodi de poſtrema infirmitate teſtantes animi paſſiones atque affectus.

a) 1. *Joh.* 1, 5. b) 1. *Joh.* 4, 8. c) *Jacob* 1, 17.

*Et ſoli hujus Magiſtratum ira dedecet.* Quæ caliginoſæ ex Erebo aſcendentes qualitates herclè & Magiſtratum dedecent politicum, imo terræ Poteſtatibus injurioſum valde foret & indecorum maxime, ſi contra ſuos ſubditos renitentes immorigeros atque rebelles (quique ob quæcunque patrata maleficia, ut exſcinderentur è Republica morteque cruentâ plecterentur digni ſunt judicati) ex

animi

animi acerbitate iræque excandeſcentia aut furore aut vindicta moti inſurgerent atque damnarent, tollereque è medio juberent; An talis Magiſtratus, quis quis etiam ſit, ſe non monſtroſiſſimum exponeret & abominandum? Ab altera autem parte non minus peccaret, quin & ſtultiſſime ageret maleficus & juſte à Magiſtratu damnatus; ſi Juſtitiam ex odio, invidia aut vindicta mortis ſibi promeritæ inferendæque pronunciaſſe ſententiam accuſaret; æquitati magis pareret, ſi, Magiſtratum mortis pronunciando ſententiam feciſſe de jure ſibique hinc & Reipublicæ bonum factum atque ſalutare, agnoſceret! Idem docet caſus & exemplum ab Ægroto deſumtum, qui in membro quodam corporis læſus & gangræna aut ſphacelo infectus, cui expertus providusque Chirurgus non tantum putridam exſecat carnem, & ſanam utique ut majori præveniat malo, non abſque ſenſibili Patientis dolore ſcarificando ſæpe lædere ducit neceſſum, aut ulteriore urgente neceſſitate ad conſervandam Patientis vitam, membrum ipſum deſecare non detrectat; An non ſtulte & dementi ratione ageret ægrotus, ſi ex concepto dolore motus fidelem ſuum condemneret chirurgum, eumque iracundum appellitaret atque crudelem? an non potius patientis in priſtinum re-

*Exemplũ politicum.*

*caſus medicus ſeu chirurgicus.*

ſtituti poſtularet decorum, ut officii accepti memor chirurgum ſincerè ſuum præſtaſſe, ſeque ei ſuam utpote inſtrumento debere vitam, agnoſcat?

*Ira apud omnes terrarum Gentes abominabile audit vitium.*

Sufficiat nobis hæcce de iracundia utpote animi furioſi inclinatione atque affectu dixiſſe, ejusque patronos inſulſosque Adoratores & defenſores ſatis ſuperque conviciſſe, & ſi non pertinaciter in ſuo perſeverare conſtituerunt errore, de recto edocuiſſe, nec non, quid ipſis incumbat impoſterum, inſtruxiſſe, & ſub ſpe quin reſipiſcant, iis adinſuper & porro patefacere lubet: Nullum ſuper toto terrarum habitabilium orbe Homuncionum ſana mente præditorum dari ſpeciem, ordinem aut Civitatem, ubi odium, invidia, iracundia, vindicta, & cæteri his affines animosque turbantes Affectus reputentur virtuoſi, ſed potius ubique inter inhumana maxime & auſterrima & omnem bonorum morum excedentia normam, atque creaturas ad Dei factas imaginem abominabiles & avernali faſcinatas immanitate reddentia recenſentur vitia; Quantopere ergo atque nefarie peccaverunt hucusque, qui Deo Enti perfectiſſimo, ſanctiſſimo & juſtiſſimo vitioſa illa & animum abjectiſſimum denotantia pathemata atque affectus adſcribere non

non erubuerunt? quæque ii in Deo Ter Optimo Maximo obtinerent, hercle

VI. Summam Dei infringernt turbarentque beatitatem, utpote quæ in eo conſiſtit, quod dulciſſima & æquali in propria ſua ſemper & naturali & eſſentiali omniſufficientia gaudet tranquillitate & acquieſcentia; quæ Beatiſſima Quietudo ſeu tranquilliſſima Beatitas infeſtaretur ab Ira; nam dum quis illatam ſibi quandam ægrè accipit contumeliam aut damnum, eo ipſo detegit intolerabilem tædii, & dulciſſimam, quæ hucusque fuerat, conſtantiſſimamque quietem infringentem diſturbantemque animi ſui exacerbationem atque moleſtiam; Ira enim, ex qua naſcitur vindicta, eſt paſſio prædominium pro ſuo tempore ludens, quæ animo ad complendæ Vindictæ ſuæ executionem usque omnem & quamcunque diſputat quietudinem & tranquillitatem; Quis autem, præter qui ex proprio ſuo iracundia referto nec non ultionem anhelante pectore, adeoque à ſe ſuiſqne incitatus infirmitatibus ad perfectiſſimamDei Eſſentiam argumentari temerarius ſubſumſerit? & Deo, qui perfectiſſima ſemper invictaque & indiſſolubili in ſe ipſo & ad ſe ipſum gaudet Beatitate, adſcribet Iram, eumque vindictæ arguet cupidinis?

*VI. Summam Dei, ira vindictaque, infringunt beatitatem.*

Hem! Docta tamen, ſed ab hac parte men-

mentis obruta caligine Cohors e ſomno ſuo atque ſopore clamat: *Deum verò eum in finem proprium ſuum, in quo & per quem ſibi à peccatore læſo ſatisfieret, miſiſſe Filium in mundum, ut diriſſima ſua paſſione cruentaque morte ſua Patris ſui Iram perferret atque vindictam, ſicque indignabundum iraque horribili correptum ſive ſuccenſum placaret Deum, eumque cum mundo reconciliaret.* Hujus autem ex obſcuro oriundæ hypotheſeos firmitas neque ex ſacris literis, neque ex ratione ſana, ſed è caliginoſo depromitur cerebro, nimirum, 1. Deum in ira unigenitum ſuum miſiſſe Filium, ut 2. ſua paſſione atque morte Dei iram compeſceret ſeu reſtingueret, 3. ut vindictam Dei utpote Iræ furorem in ſe ſuſtineret, ſicque 4. Iræ vindictæque ſatisfaceret poſtulato, eoque 5. facto Deum cum mundo eſſe reconciliatum; Quis quæſo pectore pius ſobriæque mentis hoc non merum & rationi ſanæ obnitens & contra Deum Ens ſumme perfectum injurioſiſſimum & maxime abominandum cenſeat commentum? Id autem, quod de ſancto hocce Redemtionis negotio hac in parte ſacris literis notatum legimus, omnino, aliter ſonat, nempe: I. *Deum miſiſſe filium ſuum ex charitate*; *ita* enim *dilexit Deus mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æter-*

*æternam. Joh.* 3, 16. & 1. *Joh.* 4, 9. 10. *per hoc manifeſta facta eſt charitas Dei in nos, quod filium illum ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos* (ergo neutiquam iracundia contra nos incenſus & vindictam à nobis exigens) *& miſerit Filium ſuum, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris*; & Paulus ad *Rom.* 5, 8. infit: *Commendat autem ſuam erga nos charitatem Deus, eo quod, quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit*, ut adeoque impleret omnem juſtitiam (*a*) à qua deficiebat primus Adam, nosque reſtitueret, & quotquot ipſum ad rectitudinis ſemitam in mortem usque fideles ſequimur, ſalvaret, (*b*) & verus nobis eſt Salvator (*c*) qui funditus tollere peccata poteſt Joh. 1, 29. & tollit divina ſalutiferaque ſua virtute in omnibus, qui ambulant in luce, ut ipſe in luce eſt, ut habeant communionem cum eo mutuam, 1. Joh. 1, 7. 9. qui ſervare poteſt perfecte eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens, ut interpellet pro iis, Hebr. 5, 25.

(*a*) *Matth.* 3, 15. (*b*) *Hebr.* 5, 8. 9. *Gal.* 4, 4. (*c*) 1. *Tim.* 1, 15.

II. Sacræ literæ teſtantur hinc inde clariſſimis: *Mundum per Chriſtum eſſe cum Deo reconciliatum:* nusquam autem legi-

legitur: Deum eſſe reconciliatum cum mundo; quod adeoque & caliginoſum & infeliciſſimum eſt commentum; quod nempe JEſus Chriſtus Dei Filius ad placandam Patris ſui iram, ejusque exſolvendam ſuſtinendamque ſua paſſione & morte vindictam, in mundum venerit, eoque Chriſtus Deum reconciliârit cum mundo. 2. Cor. 5, 18. 19. 20. exſtat: *quod Deus in Chriſto ſibi ipſi reconciliaverit mundum, &c.*

*Non in Deo, ſed in nobis ira cateraque degunt vitia*

Quibus ſatis ſuperque evictum, non in Deo Ente ſumme perfecto, ſed in nobis, utpote qui à rectitudinis tramite defecimus, quin & juſtitiæ & ſanctimoniæ ſumus transgreſſi leges, avernales illas, quas depinximus, reſidere qualitates, atque affectus, quique, nos luce exceſſiſſe teſtantur, quo ipſo in nobis tam horrendæ atque monſtroſæ (quas qualitates, affectus, paſſiones, inclinationes, exceſſus, defectus, vitia, iniquitates, tenebrarumque appellitamus opera) ſunt exortæ formæ atque figuræ; quæque nobis per educationem, aliorumque conſortium & conſuetudinem pravam in ipſam verſæ naturam, & adeo ſunt factæ naturales, ut minime ſit mirum, ſi quis, qui procul à divino & intellectum illuminante lumine diſtat & per conſequens caligine perfuſus incedit, quemlibet, quin & ſumam Dei Majeſtatem ſecundum propria ſua,

à qui-

à quibus totus quantus poſſidetur, pathemata atque vitioſos dijudicaret affectus; quare de merito ignoſcendum eſt omnibus & ſingulis, qui hactenus & hoc ipſo mente caligantes peccarunt, utpote quorum indies nobis ſperanda eſt ad lucem converſio.

Nam uti tota Furiarum caterva Iracundia, vindicta, furor &c. ita quævis alia, quæ ad pedem inſequuntur tormenta atq; cruciatus, imo & Lethum & Orcus & miſeriæ æviternæ Barathrum, atque abyſſus in ipſa reſident creatura; cujus Spiritus ceu Dominator à Deo puriſſima deficiens luce ab unico ſummæ ſuæ felicitatis centro receſſit; Paſſiones enim, uti nuncupantur ſive affectus, qua tales, ſui loci ordinisque primævi neutiquam ſunt malæ, ut ſupra diximus, ſed bonæ admodum & à Creatore ſapientiſſimo æqua bilance & tenore optimo ſeque in *Obedientia*, *Charitate* & animi definientes *tranquillitate* conſtitutæ qualitates; ubi verò unica ſuis excedit finibus aut ordine, ubi pacis & quietudinis infringitur æquilibrium, aliam inſuper & peregrinam, monſtroſum ſibi vendicando dominium, ingreditur formam. Duas quæſo! concipiamus *cardinales* ſibique invicem inhærentes *qualitates*, quæ in unica utpote ſuo terminantur centro & ſummam expendunt hominis perennemque felicitatem;

*In Creatura ergo reſidet ira lethum & Orcus.*

tem; prior eſto *obediens* ſui ex omnimodæ ſuæ dependentiæ agnitione exorta in Deum ejusque voluntatis nutum traditio *ſubjectio*que, quam ex amuſſim ſequitur purus atque conſtans *Sanctimoniæ ſenſus*, ſtudium atque propenſio; ex qua animi enaſcitur *tranquillitas* & quietudo dulciſſima; quorum Domus atque centrum *Charitas* audit; Vaciliante autem *Obedientia*, qua omnis incolumitatis vertitur cardo, tranquillitas abit in turbam, ex qua non poteſt non animi extrema gigni inquietudo atque anguſtia; & deſerta ſic charitatis domo, horrenda maxime & abominanda ſibique anguium convolutorum adinſtar adhærentia enaſci qualitatum monſtra, quorum potiſſimum ſeu præcipuum *Faſtus* mas, Fœmina *Invidia* audit; fœmineum Monſtrum, credas! inſaturabile, avernale cuncta & ſingula præter ſe inficiens, deperdens, conſumens, veneficum tabificumque præſtat *Alcali*; Illud autem, ſtulta nempe mox Ambitionem geſtiens, mox phantaſticum inhians faſtum & ignem & iram & furorem & vindictam ſemper eructans vomitansque ſuperbia *Acidum* agit crudeliſſimum ſupra omnem modum corroſivum atque rabidum, & Tyrannidi ſuo dominatui cuncta, quæ poteſt, ſit per fas aut nefas, ſubjiciendi æſtuans cupidine & rapacitate; quo ipſo ſe miſerrime con-

fundit,

fundit, irretit, illaqueatque hominis Spiritus, ſeque ipſum Letho & Erebo infeliciſſimum immolat mancipium. Cætera brevitatis gratia ſuperſedemus Monſtra, utpote quæ ſupra vividiſſime depicta; unicum adeoque, quod heic loci adhuc movemus, eſt: quod æqua primitivarum qualitatum ſervata conſiſtentia atque tenore, omnis illa & infauſtiſſima evitanda fuiſſet jactura.

*Inde miſerrima homo creatura, donec veram inierit converſionem.*

Herclè generalis atque præſens & caliginoſus admodum homuncionum ſtatus corrodentes continuo & conſumentes, nec non creaturam ex uno labyrintho miſeriarumque abyſſo in aliam & pejorem ſemper præcipitantes inducit formas, idque tam diu, donec creatura rationalis ſpiritualem ſuam ingreſſa eſt putrefactionem, reſolutionem debitam, & in priſtinum reſtitutionem, id eſt: usque dum homo prolapsûs ſui delictum, culpam miſeriamque omnem ſuam atque totalem agnoſcendo, ſe ſponte utpote ſibi omnibusque extra ipſum creaturis moriundum expurganti, omnemque concremanti impuritatem, expiantique iniquitates & exponit & ſubjicit judicio; ſeque Deo in Chriſto totum quantum ſine ulla aut ullius exceptione humilliſſime tradit atque ſacrificat; ut eadem illa Dei in Chriſto gratia, quæ creaturam peccatricem & indeſinenter à ſanctitatis & juſtitiæ defi-

*Converſio vera.*

cientem caligineque poſtrema perductum delinquentem ubique per Lethum inſequitur atque Erebum (ex quo profectò maxima & infernalis animi enaſcitur anxietas, quum peccator fame ſemper inſaturata ſitique non nunquam arida & inexſtincta & inenarrabili ſperatæ ſuæ, nuſpiam autem hocce ſuo in deſerto cunctisque extra ipſum creaturis reſtituendæ recuperandæque in irritum vexatur deſiderio atque ardore) ſuæ quietudinis animique tranquillitatis reſtituatur æquilibrium, quod æquilibrium ſe in myſterioſo illo, nec non glorioſo τῶν *Urim* atque *Thumim* ſplendore ad ſempiternum Dei Triunius honorem, laudem atque gloriam inque infinitas ſe explicabit perennitates.

*ubique in impio Orcus!*

*Cuncta in principio erant bona, ſic & formæ primordiales.*

Uti autem *formæ* rerum primordiales omnes absque diſcrimine, ſive eas de corporali, ſive de mundo concipiamus ſpirituali, bonæ ſunt & quidem valde bonæ, ſic utique & creaturarum cunctarum inter ſe obtinens tam generalis, quam ſpecialis diſcrepantia, earumque tam pro apparentia bonarum quam malarum, tam acidarum, quam dulcium, tam calidarum, quam frigidarum, amararum, veneficarum aliarumque qualitatum varietas nullam infert aut decantat formarum malignitatem aut ineptiam; Nam pro rerum exiſtendarum exigentia incidentes formæ

gene-

genera præſtant atque ſpecies; *Formæ* autem omnes è ſpirituali procedunt matrice, ſe denuo accommodant corporibus iisdemque quaſi concorporantur, & vice verſa, pro innumera formarum primordialiter prodeuntium varietate & differenti in materiem incidentia variæ ſiſtuntur figuræ, imagines & exiſtentiæ; non obſtante illa contradici neſcia veritate, ſcilicet: materiam primordialem & formas in principio unum fuiſſe idemque, ex quo Deus ſapientiſſimus omnium rerum Conditor omnia & ſingula & quodcunque pro ſapientiſſimo voluntatis ſuæ arbitrio creare potuit, ita ut ineffabilis rerum creatarum inter ſe diſcrepantia ſummæ Dei Triunius Sapientiæ deprædicet laudem atque gloriam.

*Quod & ex Acidi atque Alcali emergit innocentia.*

Eundem adhuc indies teſtatur effectum *Acidum* noſtrum & *Alcali*, utpote ex quorum recta aut obliqua, manca aut inadæquata commixtione & permutatione, nec non unius præ altero exceſſu aut defectu, incremento aut decremento, & varia & plurima ſæpe in uno eodemque ſubjecto effectus oriuntur atque caſus, ita ut exinde una eademque creatura multifarias & inexplicabiles metamorphoſes ſeu permutationes inferentes pertranſire adigatur formas atque figuras; attamen τὸ ſubſtantiale Corporum, informatrice Phyſica experimentali che-

mica, in tribus præcipue eſſentialibus ſe definit partibus conſpicuumque exponit, nimirum I. in *Oleo* ſive (quod nobis in materia, ex qua, unum eſt idemque, per accidens modo diverſa audiunt) *Aceto*. II. *Sale* volatili vel fixo, vel utroque ſimul. III. in *Terra* vulgo dicta mortua ſeu vitrificanda.

*De Sale.* Nullus, qui mediocriter audit Chemicus, *Sal* inficiabitur empyria edoctus; omne, quod ſub ſole, ſuum τῷ ſali ſuo initio & naturali ſeu eſſentiali debere exiſtere ſubſiſtereque, & quodvis trium Regnorum Sal à ſe invicem generaliter differre. I. Ex *Aſtrali* Regno præter ſal fixum me Empyria nullum adhuc docuit aliud. II. Regnum *Animale* ſal præſtat volatile, & fixum quodcunque abhorret. III. *Vegetabile* inſimul fixum porrigit atque volatile. IV. *Minerale* Regnum fixo ſolum ſale gaudet: quamvis Chymiaſtri quidam ſe utique è Regno Minerali ſal volatile eliciendi callere artem prætenderunt; quo autem ſe propria ſua illuſos Phantaſia, ſuamque in Phyſica Chemica ſeu experimentali prodidêre ignorantiam; Ejuscemodi ſententiæ ſeu vanæ opinionis chemici quidam & magnam exinde de ſe experientiam jactitantes fuere Medici, qui ſal fixum tartari crebris ſuis artificioſisque deſtillationum cohabitationibus volatiliſare, id eſt: vola-

volatile reddere è ſuo habere numerato gloriantur, hocceque objiciendo glaucomate tribulares plurimam partem chemiæ expertes ludunt Medicos. Id utique, quod ars chemica quoad ſalium fixorum fuſionem inque uſum medicum converſionem nos docuit, eſt: *quod omne ſal fixum bene exſiccatum ſpiritu ardenti rectificatiſſimo in rubicundiſſimam quam citiſſime reſolvamus tincturam*, quæ etiam cæteris cunctis, quæque è ſalibus aut alcali fixo forent tincturæ, medica ſua virtute præſtat; in medio enim volatile inter nunc conſiſtit & fixum, adeoque in nullo caſu nocua, ſed cuique accommodata naturæ atque morbo; quæ hercle tinctura, ſi etiam quædam ejus & ſubtilior pars in Galeam usque aſcenderet Alembici, quod igne aucto rariſſimis ſalis particulis cum ſpiritu arcte connexis facile & ſæpe contingit; non tamen pro volatili, ſed pro reſoluto vendicandus ſale eſt & medio, ſed quid dicam? Minervæ rudis Doctorum nec non frontis perfrictæ oſtentatorum & impoſtorum, à quibus nobiliſſimum Chemiæ ſtudium contaminatum & mundo infeſtum factum eſt & abominandum, multa ſemper in orbe fuit turba, eritque; quod autem non officit iis, quibus, tenebras quoquo etiam ſumſeris ſenſu, & igne & luce perrumpendas findendasque eſſe, noteſcit.

G 3 Prouti

*De Terra.* Prouti ergo quodvis regnum proprio ſuo & eſſentiali gaudet ſale, ita unumquodque ſine diſcrimine ſuum exhibet aut oleum aut Acetum, aut utrumque ſimul, quoin Regna, prouti chemica ſumus edocti empyria, conveniunt quævis; in tertia ſua eſſentiali parte corpora differunt, quando minerale regnum *Terram* exhibet rudiorem; Regnum vegetabile ſale multo refertam ſubtilioremque præbet; Animale autem rariſſimos ad impalbabilitatem usque atque ſubtiliſſimos relinquit cineres, in quibus aliquando adhuc aliquid ſalis continetur volatilis, nunquam & neutiquam fixum.

*De Oleo.* Quæritur nunc, an ergo *Oleum* atque Acidum in fundamento ſeu materia, ex qua, ſint unum idemque, ita ut materia illa ignis adminiculo æque in oleum ac in acetum, prouti laboranti libuerit, verti poſſit; quo ipſo liqueret: oleum & Acetum non materialiter aut reapſe, ſed per accidens tantum à ſe invicem & quidem toto, ut dicitur, cœlo differre; Ex quo porro interrogandi exoritur occaſio, ſcilicet: an non materia illa ſecunda ob *Alcali* invaleſcens formale abeat, aut in oleum abire cogatur? per conſequens & vice verſa ex prædominium ludente *Acido* in Acidum ſeu aquam longiſſime ab oleo diſtantem ſeu maximè contrariam?

Hem!

Hem! per inſomnium quaſi, ſi non altum, demuſſans ſaltem mihi videor audire murmurillum *tam* chemicolarum, qui aquam è balneo deſtillandi, Mercurium ſublimandi, & adinſuper ſophiſticum auri argentive acervos promittentem ſingulari calliditate imitandi proceſſum turgeſcunt & experientia; *quam* & aliorum & Phyſices & Chemiæ atra notatorum ignorantia; quin & ex libris & phantaſia oriundorum Philoſophorum conſuſurrantium: Ehodum! Oleum & Acetum radicaliter unum, per accidens modo differre & ſecundum formam? cum tamen rudiſſimæ noteſcat plebeculæ & naturalis & eſſentialis oleum inter & aquam diverſitas, quæ & omnem & poſſibilem utriusque negat & cohibet commixtionem; Oleum ſulphur eſſe fluidum Ignisque domum; aquâ vero ignis compeſcuntur incendia; oleum ad ungendum; ad lavandum aqua eſt; uno verbo: & natura & effectu & toto à ſe invicem differunt cœlo, nunquam & neutiquam verificabitur theſis: *Oleum & Acetum & reapſe & radicaliter eſſe unum, per accidens & formaliter tantum inter ſe differre*; porro obloquens inſtabit caterva: hanc & ipſam theſin Adepturientium inſervire & vigilare commodo, quorum ingenioſiſſimi non tantum ſulfur ſuo naturali & radicali gau- *Inſtantia.*

 dens

dens humiditate ſolicitant atque embryonatum, quin potius Ignem & Aquam ad prolubium in uno, ex uno & in unum vertendi artem callere deſiderabunt; de qua inſtructi deſiderato potirentur Diademate ſuo Adepturientes, Evax!

*Ignis & aqua in materia, ex qua, unum.*

Diximus in Topiario noſtro: omne Sulfur ſuo dignum nomine nihil eſſe aliud in natura, quam Oleum ſiccum & vice verſa: Oleum omne & quodcunque eſſe fluidum Sulfur prætereaque nihil; Sulfur autem hoc ignis appellitamus domum; Aquam verò latere ſub igne, nemo Phyſicus ibit inficias, quamvis plurimi in hoc ſuum nobis recuſarint calculum: Ignem potuiſſe fieri Aquam, Aquam vice verſa ignis gaudere potuiſſe forma & qualitate. Nos duo in uno contenta exhibemus Elementa, nempe Ignem & Aquam, eorumque unum aut alterum pro laborantis placito generandum aſſerimus; Verum equidem, ignem reſidere in Sulfure, Sulfur eſſe oleum, & vice verſa; Sulfur porro eſſe Ignem à Saturno concentratum, huicque ſecundum externam & qualitativam ſuam formam adverſatur Aqua; quæ duo nobis vocantur elementa elementata, quoniam omnes ſub cœlo creaturæ ſuum ex iisdem ducunt ortum, ſuſtentationem & poſtremam perpetientur reductionem; *Diverſitas adeoque, quæ accidit elemento utri-*

*que*

*que formalis, analogiam eorundem radicalem neque negat, neque tollit*; Adinſuper Aquam lucis eſſe domum, nemo refragabitur Philoſophus; interim tamen probandum nobis erit: Ex una eademque materia, aut Aquam aut Ignem pro laborantis lubitu poſſe ſiſti, id quod ſequens dilucidabit argumentum.

Si una eademque materia ignis vehementia in Acetum id eſt, aquam reducta, eâdem & ipsâ ignis virtute in Oleum utique transmutari capax, ſequitur: Aquam & ignem radicaliter unum & unius ejusdemque eſſe ſubſtantiæ, per accidens autem ſolùm & formaliter à ſe differre. Atqui, Ergo.

Argumento huicce noſtro inſerviat exempli gratia

Sal quoddam vegetabile ex certo quodam arundinum genere collectum depurgatiſſimum, finiſſimum, dulciſſimum, amabiliſſimum fixiſſimumque & non poſtrema cætera ſui regni corpora ſalliendi, condiendi & ab omni conſervandi putredine, nec non ſecundam Regno animali valetudinem conciliandi inſtructum virtute, nobisque vocatum Saccharum; cujus dulcedinem & ſuavitatem, nemo qui unquam guſtavit, vocabit in dubium; In *Saccharũ Sal eſt.*

G 5 quan-

quantum vero homuncionum conducat ſanitati, examen requirit penitiùs, nos Saccharum in ſe, qua tale neutiquam ſuſtinemus nocuum, ſed potius bonam homini conferre ſalubritatem; Eſt enim materia in ſe delicatiſſima & mirabili & naturali ſe apud quoscumvis inſinuandi qualitate ditata atque gratiſſima; Deſiderabilis in Medicina & neceſſaria maxime; in ventriculo autem, ubi ob acidi bilisve ubertatem & reſiſtentiam Archæum reficere ſeu confortare impeditur, ſe chylo, neutiquam in detrimentum majus aut ulterius, commiſcet lymphæque accommodat præſenti.

*fixiſſimũ.* Eſtque Sal hocce, quamvis & mediocrem culinæ fugiat ignem, attamen non modo fixum, ſed fixiſſimum vocari meretur; quo majori enim Sal quoddam gaudet fixitate, eo minus ſpiritu ſolvitur ardentiſſimo; id quod experiebar in Saccharo, illud tinctura ſuperfundens Antimonii indies non ſine admiratione magis magisque indureſcere videbam; & alterum, quod obſervabam, erat: Sulfur antimonii ſe à tinctura ſolviſſe & ſaccharo adhæſiſſe in copia, maſsâ autem lapidis ſemper ſervante duritiem, quod me docuit: Saccharum eſſe Sal & Sulfuri Antimonii amicum fixiſſimum; quærebam medium, quo ſaccharum diſponerem, ut ſe ſpiritu pateretur reſolvi ardentiſſimo,

mo, illius aureæ catenæ Homeri, quod in tota rerum natura obtinet, memor, dum ait, ab uno extremo ad aliud absque intercedente medio non dari tranſitum; Inveni tandem Aquam, quam meam appellito pluvialem, ab omni heterogenea alienam admixtione compoſitioneve adeoque ſimpliciſſimam; hacce irroravi Saccharum, deinde ſoli ad ſicceſcendum expoſui, quo facto & ſpiritu vini rectificatiſſimo affuſo ſolvebatur quaſi momentaneè absque ullo igne alio in Tincturam rubicundiſſimam nec non gratam palato.

*Tincturã edit rubicundiſſimam.*

Saccharum adinſuper ſulphureæ eſſe naturæ, quis inficiabitur, non ignorans, illud paucillo igne abire in auras & perpauco ſale relicto ire evanidum? cum Antimonii Sulfure, ut diximus, jungi amat, quocum ſe in momento quaſi arctiſſimeque & indiſſolubiliter conjungit, & quidem per viam duplicem; in liquida forma ſe ſaccharum & Antimonii ſulfur *reſolvunt* atque amplexantur, ut nihil maneat reſidui, unicamque conſtituant Tincturam; Utique in ſicca forma eorum eſt conſtantiſſimum neq; igne atrociſſimo violentiſſimoque ſolvendum conjugium.

*Nec non ſulfur inſimul.*

*Ejusque arctiſſimũ cum Antimonio conjugiũ.*

An verò Saccharum conſtantis etiam ſemper & unius ejusdemque ſit naturæ, qualitatis atque virtutis? quæritur! ſed cum ſaccharo ſe habere, reſpondere eſt,

*Variarũ capax qualitatum.*

quem-

quemadmodum cum cæteris cunctis aliisque & variis viciſſitudinibus ſubjectis Mundi hujus rebus; ratione ſuarum, quas amplectitur, formarum, quibusque volvitur Saccharum, ſuas alias atque alias exerit qualitates, mox gratas, mox ingratas, mox dulces, mox acidas, mox acerbas, mox amaras, mox nocuas, mox innocuas & ob quascunq; ſi appellitaſſet Protheum!

*Acetum exhibet acerrimum* Ignis vehementia in acerrimum auſterrimumque & gemmas reſolvens permutatur Acetum Regno animali infeſtiſſimum, eademque vero NB. ignis impetuoſitate in deflagrans diducitur Oleum; qua ſua metamorphoſi laborantem inſtruit docetque Saccharum: Se nuda formæ ſuæ permutatione alias atque alias & aquæ adverſas ludere qualitates; præcipue cum ſe ſulphur præſentet fluidum, per quod cuncta reſolvuntur corpora, quin & ipſæ conſummuntur Aquæ atque Torrentes.

Uti autem Empyria & Medicum facit vere talem & Chemicum, ita ſubſumtum noſtrum ſequenti empyria probatiſſimo verificare nos oportebit proceſſu; præſupponentes: Cuique Chemiæ mediocriter ſaltem experto ſatis notcſcere ſuperque: Ex omnis generis dulcedine ſive ſaccharo acerrima per ſe & ſolo Vulcani adjumento confici poſſe Aceta; ſed nobis & Oleum!

*Utut tibi lubet, aut Oleum.*

Recipe Sacchari Canarienſis vel candi puriſ-

puriſſimi part.jjj Sulfuris Antimonii part.j vel utriusque tantum quantum & prouti lubet, miſce, *ſolve*, filtra per bibulam chartam; ab integra Sacchari & antimonialis Sulfuris libra non ultra ſemiunciam, quantam nempe materiæ forte admixtum erat heterogeneæ, manebit reſiduum; Aquoſitatem igne abſtrahe lento; maſſam verò igne expellas fortiori; ſed gradus ignis quam accuratiſſime obſervato, ne jacturæ te exponas periculo; ſi tuam autem bene intellexeris materiam, nec non gradus competentes ignis, facillimus tibi erit labor craſſum tibi exhibens oleum, quod rectificatum rubicundum eſt atque fluidum; adinſuper obſervavi: Idem illud oleum è Maris Balneo ſuper Alembicum poſſe propelli.

Ex quo rurſus evidenter pateſcit: *Formam* dare τὸ eſſe rei, per conſequens rem quamvis alternata forma alternari & ipſam; quæ conditio quidem obtinet in corporibus; aliter verò longe ſe habet cum Spiritibus, utpote qui quoad eſſentiam ſubſtantiamve iidem immutabiliter manent; ſolum quod facultates extravagantes varias accerſant ærumnas, & triſtiſſimas introducant viciſſitudines; nam prouti incidunt, transformantur & ipſæ, de quo ſupra; Quævis autem *forma* cum re ſive qualitate formata unam quaſi conſtituit Eſſentiam qualitatemve, prouti

*Verum equidem hominis, qualis hic, talis & in futuro ſeculo, ſed aut beatior aut infelicior eſt conditio.*

prouti autem formæ exteris ſe accommodant objectis, hominum quaſi concorporaſcunt qualitates, id eſt, ſuam in corporibus ſitiunt, eſuriunt, inveniunt & habent inclinationem diverſionemque & ſubſiſtere; inde fit: quod quoniam Homo deſerto per mortem temporalem craſſo ſuo organico corpore, domicilio ſuo extero, omni ſua capacitate cunctisque animi ſui ſenſis neutiquam, ut dum adhuc his in terris ſuo indutus corpore organico eſt factum, ob deſtructa tunc externa deperditaque organa in exteras agere creaturas, exque iis ſua capere fercula ſeu oblectamenta poteſt; Cum autem eædem adhuc ſint, quales NB. his in terris fuere inclinationum qualitates; Homo nunc mundum præ illo, quem deſeruit, alium ſed accommodum ſibi maxime petit, præſentique ſuo exigente ſtatu, magis ſpiritualem, quoin ſuam aut invenit quietem, aut moleſtiam pro ratione formæ à domeſtico ſuo *Alcali* eductæ & *Acido*.

*inveniet enim aut gehennam ſeu mortem alteram.*

Exempli gratia, quicunque in Ævi hujus præſentis immerſus erat deliciis vitiisque; is hercle in *Alcali* ſuo atque *Acido* copulativo utpote Magneta eandem ſecum & omnimodam ſtatus ſui miſeri atque deſerti ducet formam, à quo ſuum male eſſe atque Gehenna dependet; quæ autem formæ utpote externis ſuis nunc denu-

denudatæ veſtibus ſpiritum equidem ſuarum hac in ſeculari vita voluptatum canina utique ab uno ævo in alterum excruciabunt fame, Tantaleaque continuo divexabunt ſiti, æque minus autem ejus implere cupidinem, ac fercula depicta incluvioſo facere ſatis queunt; Eoque verò ipſo infeliciſſima Creatura in horrendos maxime & inenarrabiles & poſtremos imo majores multo amplioresque, quam quæ Lethi utriusque voce atque Erebi exprimi valent, adigitur in æternum cruciatus atque tormenta; vice autem nunc verſa.

*aut Cœlum ſeu beatitates perennes.*

Quicunque his in terris rerum omnium ſub cœlo cognovit vanitatem; omnem adeo & quamcunque creaturam, ſeque ipſum cunctasque ævi hujus abnegavit delicias, Deoque in Chriſto ſe totum quantum ſacrificavit in ſolidum, perque reſiduum illud ſuum vitæ temporalis curriculum in inſtanti ad Deum Patrem luminum perſeveravit appropinquatione, hacque ſub continua ſui in Deum per Chriſtum traditione tuguriolo ſuo ſeu externo derelicto corpore organico ſua petiit Aſtra. Talis herclè & easdem lucis amabiliſſimæ Dei, cujus beatiſſimæ communionis ardentiſſimo diu noctuque flagrabat deſiderio, *formas* habet concomitantes atque conſortes, quæ magis magisque & in

omnes amplius perennitates atque ſupra citatas cunctas in Chriſto nobis expoſitas Beatitates conferentes URIM præſtabunt & THUMIM, quorum ſplendidiſſima copulativum illud tunc in rectitudinis Perennitatisque bilance conſtitutum *Acidum* atque *Alcali* perlucens illuſtransque claritas magneticam horum extollet rubuſtamque ſatis reddet, nec non ſua in illo univerſalis omnisque carnis reſurrectionis reſtitutionisque die ſeu momento ſuoque tunc præſenti atque beato accommoda ſtatui lucidiſſima attrahendi inducendique corpora validiſſimam conſtituet Virtutem. *Beatus* igitur *& ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima, in hos enim ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum Eo mille annis.* *Apoc. 20, 6.*

DIXI!

---

In Olympo Aſtrali Proc. primo No. XIII. pag. 16. lin. 2. ſuper *marmorem*, leg. ſuper *marmor.*